# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XIX. PARS II.

---

LIPSIAE MDCCLXXIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Venetiis apud I. B. Pascali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Medical Transactions published by the college of physicians in London. Volume the second. London: printed for S. Baker and I. Dodsley. MDCCLXXII. 8. alph. 1. pl. 11½ *).

i. e.

Tractationes medicae, a Collegio medicorum Londinensi editae. Vol. II.

1.

*De febre hectica.* Auctore GVILIELMO HEBERDEN, med. doct. et Reg. societ. soc. **). Agit Cl. Auctor de signis potissimum, quibus febris hectica ab aliis distinguatur, atque tum quaedam de eius cura ex sua ipsius experientia addit. Est febris p. 1.



*) Volumen primum harum tractationum indicatum est in comm. nostr. Vol. XVII. p. 195. Versio huius etiam Voluminis iam edita est a Cl. CAROLO CHISTIANO KRAVSIO, atque praefatio addita, in qua iniustam sui reprehensionem a se remouet, atque quaedam ad nonnullas tractationes commentatur.

**) lecta d. 2. iul. 1768.

haec generatim et diiudicatu et curatu difficillima. Varias enim induit formas, quoad paroxysmorum vim, tempus, exitum, atque alias mutationes. Signum tamen certum huius febris perhibet Nesser, si, sudore finito, febreque continuante, ipsa in febre redeat frigus. Rheumatici dolores aegros hac febre laborantes, excruciant, praesertim tum, cum ab vlcere, aeri exposito, orta fuerit febris; aliis subito artus ipsumque corpus intumescunt.

Praeterea hac febre interdum homines, bini visi, subito inuaduntur, ita, vt acutae similis videatur: quae quidem paullo post vehementia sua remittat; deinde tamen ostendat, ab interna causa eam sustineri, cum nunquam fere curari possit. Pulsus celeris signum eius est, et semper quidem periculosum: non tamen, pulsu tardo praesente, periculo vacat. Sequitur plerumque glandularum obstructionem, indeque mulieres quinquaginta circiter annorum frequenter ea occupantur.

p. 12. Cura, pro varietate caussae, diuersa est. In febre, a paruo vulnere, asam foetidam atque opium laudat. Plerumque symptomatis tantum occurrendum; non tamen prorsus desperandum, cum naturae viae sint abditae. Ita hecticos a labe visceris abdominalis refert, omnibus remediis frustra tentatis, tumere incepisse, atque, tumore hoc abscedente, conualuisse: quam naturae viam Auctor imitari tentauit; non tamen eodem cum successu. Cortici Peruuiano in hac febre vix quidquam tribuit, neque noxium iudicat; sed balnea adhibere vetat, cum iis febris augeatur, ac mors acceleretur.

p. 18. 2) *Ad pulsus differentias annotationes*, factae ab EODEM *). Frequentiam pulsus, quam in theoria pulsus

*) lectae eodem die.

pulſus et praxi ſolam ſufficere iudicat, Cl. Auctor quibusdam obſeruationibus illuſtrat; ac primo quidem diuerſam eam pro varia aetate determinat, deinde ſigna, quae ea praebeat, affert. Pulſat infantis neonati arteria tempore vnius minuti primi centies trigeſies vel quadragies, ſenſimque imminuitur eius celeritas, donec duodecimo anno numerus pulſuum eodem tempore ſit ſeptuageſimus, atque ita fere conueniat cum numero adulti hominis, quem ad octuageſimum accedere cognitum ſit.

Si iam pulſus infantis ſit pulſibus viginti tardior, quam numerus naturalis primus (130), cerebrum affectum indicatur. In febre inflammatoria ſi pulſus adultorum vno minuto primo centeſimum numerum ſuperat, periclitantur aegri; niſi abſceſſu morbus mutetur, vel adſint rheumatismi acuti. Celeritate cito imminuta, reliquis ſignis malis, morbum cerebrum petiiſſe apparet. Itaque, quamuis in morbis plerisque celeritas eſt ſignum certum periculi: non tamen medicis licet ſecuris eſſe in pulſu vel naturali ſimili, vel tardiore, praeſentibus aliis grauibus ſymptomatis. Si pulſuum numerus quadrageſimo ſit minor vnius minuti primi tempore; non omnes eius ictus ſentiri coniicit Noſter, cum debilitas pulſus ſemper ſit adiuncta. Pulſum intermittentem, ſine aliis grauibus ſymptomatis, immerito malum ſignum haberi iudicat, idque exemplis confirmat, et mulieris, quae pulſu intermittente per vitam praedita, cancroque vteri tandem mortua, nulla laeſionis internae ſigna obtulit; et aliorum, quibus regularis pulſus fuerit ſignum morbi, reconualeſcentiae contra rediens pulſus irregularis. Dolore pulſum accelerari dubitat, exemplis nephriticorum, contrarium oſtendentibus. p. 23.

p. 34. 3) *Relatio de ptyalismo inſolito et eius cura*, communicata GEORGIO BAKERO M. D. et ſoc. colleg. med. et Reg ſoc. a IOANNE POWERO chirurgo Polesworthenſi in Warwickshire *), Puella, ſedecim annorum, teneri habitus, de re quo ſana, menſe aprilis 1751 continuo ſaliuae fluxu afficiebatur. Quantitas ſaliuae, per diem excreta, erat varia, ad duas menſuras accedens; qualitate vero, ſaliuae ſanae erat ſimilis. Omnibus fere et medicamentis, et regiminis regulis fruſtra adhibitis, morbus per duo annos eadem vehementia continuabat. Quare Cl. POWERVS ſuſpicatus externum corpus huius profluuii cauſſam eſſe, mentum auditorium externum disquiſiuit, inuenitque magnam lanae, ibi repoſitae, quantitatem: qua educta, ſaliuae profluuium ſenſim quidem imminuebatur; quod tamen, cum, propter conſuetum ſaliuae affluxum, aliquamdiu continuaret, Noſter ita remouit, vt iuberet aegram panis fruſtula interdum manducare, ac ſaliuam deglutire.

p. 39. 4) *Hiſtoria de ore clauſo*, communicata IACOBO HARVEY M. D S. C. M. et R. S. a D. GVILIELMO CARTER. **) Vocatus Cl. CARTERVS ad aegrum, 27 annorum, ſanae conſtitutionis, cui, poſtquam vulnere in interno pedis dextri malleolo laeſus eſſet, os clauſum ita erat, vt, praeter fluidiſſima, nihil deglutire poſſet: inuenit eum adeo ſpasmis contractum, vt, praeter dicta, etiam crura, et ſpina dorſi eſſent immobilia; caput antrorſum ductum, et frequenter conuulſum: ſenſibus ſanis, appetituque integro praeditum, pulſu naturali paullo tardiore ac pleniore. Adhibitis iam, ſine effectu, extracto Thebaico ac magna moſchi quantitate: Noſter veſicatorium intra humeros applicuit, inunxitque os et

*) lecta eodem die. **) lecta eodem die.

os et ſpinam dorſi oleo lateritio, ac purgantem tinctu-
ram ſacram ialappae cum ſyrupo rhamni catarthi-
ci exhibuit, quolibet tertio die repetendam. Die-
bus interpoſitis ſpatio nycthemeri dedit olei ſucci-
ni guttas triginta, aſae foetidae grana viginti, et
olei amygdalini vncias quatuor. His medicamen-
tis, per quatuordeciem dies exhibitis, aeger ita ſana-
tus eſt, vt egredi poſſet, ore primum libero, dein
ſpina mobili, tandem cruribus flexibilibus factis.

5) *Hydrophobiae exemplum*, auctore b. NICO- p. 46.
LAO MVNKLEY. M. D. et Reg. ſociet. ſoc. *)
Vir, 36 annorum, die 11 iulii, anni 1760. morde-
batur a cane rabido. Medicus praeſens venae ſectio-
ne vncias decem ſanguinis emitti curabat, ſuade-
batque, vt ad balneandum mare proficiſceretur
aeger. Qui, eo profectus, et ibi per decem dies
commoratus, balneo ſolo vſus eſt. Poſt menſem
triſtior factus, die 19 aug. difficile deglutiebat.
Hoc in ſtatu Noſter aduocatus, inuenit aegrum
triſtem, cute non adeo calente, pulſu debili, oculis
turgidis, lingua arida. Aeger morſum canis cela-
bat, ac, cum ei potus praeberetur, vehementer
perterritus, confuſe exclamauit, id fieri non poſſe.
Atque haec quidem ſymptomata intra horae ſpa-
tium exorta ſunt. Sequenti die facies magis erat
horrida, aegerque continuo tenaciſſimam exſpue-
bat pituitam, vt exſpuendo ſonus ederetur. Sen-
ſibus tamen omnibus fruebatur, neque falſa in eo
obſeruabatur imaginandi vis, praeter, quod men-
tione aquae facta vehementer moueretur atque ex-
clamaret; nunquam tamen, inſtar canis, morde-
bat. Ita ad ſecundam huius diei poſtmeridianam
horam miſere viuebat, qua moriebatur.

 6) *Rela-*

*) lecta die eodem.

p. 59. 6) *Relatio de morbo pectoris*, Auctore GVIL. ELMO HEBERDEN *). Notatu dignum, quod tamen Cl. Auctor nullibi ſe deſcriptum legere meminit, hic deſcribit morbi genus, illudque propter ſedem ſenſumque ſuffocationis *angina pectoris* nominat. Qui eo laborare incipiunt non mali quidquam ſentiunt, praeter dolorem in pectore tum, cum obambulant; qui, iis quietis, euaneſcit. Morbo per quosdam menſes continuato, dolor hic non protinus deſinit; ſed cubantibus etiam exoritur, vel interdum etiam ſtantibus. Plerumque viros, quinquageſimo anno maiores, occupat; exempla tamen et duorum iuuenum, et feminae paralyticae Cl. Auctori obuenerunt. Plerique ſubito moriuntur; alii ab eo per viginti annos cruciantur. Locus mali eſt ſternum, in qua quidem variat, plerumque ad ſiniſtrum latus vergens, atque interdum cum dolore ſiniſtri brachii coniunctum. Cauſſa eius incerta vel vlcus, vel ſpasmus videtur: hoc docent et ſymptomata, et leuamen a vino et cardiacis; illud vero aegri confirmant, qui ſanguinem exſpuunt purulentum, ſentiuntque illum e loco effluere affecto. Pulſus morbo durante non turbatur. Opiata, continuo adhibita, maximum lenimen afferunt. Mortuos aperire Cl. Auctor non potuit.

p. 68. 7) *De colica Pictonum*, Auctore R. WARREN, M. D. Reg. ſociet. et coll medic. ſoc. et archiatro **). Egregia ſane hac tractatione, ac digna, quae ipſa legatur, a Cl. Auctore enarrantur omnia huius morbi ſymptomata, pro diuerſitate cauſſarum, internarum et externarum varia; ſigna diagnoſtica,

*) lecta d. 21 iul. 1768.

**) lecta d. 4 aug. 1768.

ſtica, et prognoſtica, addunturque optima remediis: nos quaedam breuiter ſeligamus. In initio morbi aegri ſentiunt dolores circa ſcrobiculum cordis, atque appetitus iis perit, obſtructiones aliaque accedunt. His poſtea auctis, ſequuntur vomitus pituitae et bilioſae materiae, dolores rheumatici ita omne corpus peruagantur, vt, externis partibus affectis, internae liberae videantur, donec paullo poſt dolores reuertantur ad priorem et veram eorum ſedem. Cum dolores, qui continuo per quasdam horas ſaeuiunt, poſteaque vel exacerbantur, vel paullo remittunt, adſunt, musculi abdominales vel ſunt nodoſi, vel verſus ſpinam dorſi contrahuntur: praeter ea ſphincteres et ani, et veſicae contracti excretiones has impediunt. Morbum non antecedit frigus, pulſusque eſt quietus, ad quartum vel quintum diem, quo acceleratur; quod tamen Cl. Auctor magis vi medicamentorum, quam morbo tribuit. Verſus morbi finem pedum articuli et digiti tument, inſtar podagricorum: accedunt ſudores ſalutares, coniuncti nonnunquam cum exanthematibus; ſentiunt aegri tormina, diſtincta a doloribus colicae: quae ſequitur excretio aluina varia: et ita aeger eſt ſanatus. Raro ante ſextum diem tollitur morbus; malignus per menſem durat, finiturque vel paralyſi extremitatum, vel, aliis grauibus ſymptomatis praegreſſis, morte. Differt colica pictonum a dyſenteria, quod diutius, ſine intermiſſu, continuet, ac tenesmus, qui hanc ſequitur, cum illa incipiat.

Primum bibant aegri decoctum calidum chamo- p. 74.
millarum, vt vomitus ſequatur, quod ter repetatur: deinde dentur tincturae Thebaicae guttae viginti, vncia vna aquae dilutae, vel opii gr. 1. idque quabet ſecunda vel tertia hora reiteretur. His per

24 horas continuatis, remiſſione ſequente, aegro conueniens nutrimentum praebeatur. Regrediente morbo, priora remedia ſunt continuanda, donec tenſio abdominis remittat, accedantque ſigna ſua morbi: tum dentur purgantia lenia, quae, ſi dolor redit, ſeponenda ſunt, opioque continuandum: hinc non cito danda purgantia. Si opiata, pero ſumta non iuuant, clysmata lenientia, addita tinctura Thebaica, ſunt iniicienda, addendaque fomenta et alia externa lenientia. Poſt morbum cauendus frigus. Si obſtructio remanet, morbus, ne recidat, metuendum eſt: hinc remedia, quibus inteſtina molliantur et laxentur, ad quae pertinent aquae Bathenſes, dentur. Venae ſectio non inſtituenda eſt, neque nimii vomitus excitandi.

His quasdam 32 hominum, ſimul hoc morbo affectorum, hiſtorias ſubiungit: vnus eorum, intra epileptico inſultu afficiebatur, atque, doloribus colicis remittentibus, capite rurſus tacto, ac ſi chorea S. Viti correptus eſſet, poſt 14 dies moriebatur: quibusdam os et fauces a materia acri, per vomitum reiecta, erodebantur: alii delirabant; omnes, cum poſt 4 dies curati viderentur, morbo iterum occupabantur.

p. 90. 8) *Hiſtoria et cura difficilis deglutitionis, ortae a ſpasmo oeſophagi*, communicata a THOMA PERCIVAL. M. D. et R. S. S. *) Puella tredecim annorum, tenerae et irritabilis naturae, per quosdam annos difficili laborabat deglutitione: quae, ſi per quosdam menſes ceſſaret, denuo ſine cauſſa euidenti reuertebatur, vt aegra ita plane exſiccaretur. Solida deglutienda ad cardiam vsque facile deſcendebant, quorſum ſi venerint, protinus conuulſiue reiiciebantur; neque fluida retinebantur, niſi

*) lecta d. 9 auguſt 1769.

niſi calida, vel lente et parua in copia deglutita. Conquerebatur aegra de quodam vehementi pruritu ventriculi. Cauſſa huius morbi latebat. Cum Cl. Auctor morbum ſpaſmodicum eſſe cum tumore oeſophagi coniiceret, praecepit interne aſſumi antiſpaſmodica et reſoluentia, quibus mercurium dulcem addebat; extus vero imponi emollientia atque antiſpasmodica linimentis atque emplaſtris. Praeter ea diſpoſuit, vt pedes fouerentur, diaeta mollis et nutriens aegrae exhiberetur, corpus leniter moueretur et clysmata nutrientia immitterentur. Cum medicamentum reſoluens mercuriale et deiectionem, et eroſionem gingiuarum ſaliuationemque excitaret, poſt trium ſeptimanarum vſum non vlterius adhibebatur. Reliquis autem per duo circiter menſes continuatis, aegra ſolida deglutire poterat, ſicque plane conualuit.

Subiungit quasdam annotationes, quarum prima oſtendit, in cura huius morbi diligenter eſſe inquirendum, an a ſpasmo, an vero a ſcirrho glandularum morbus pendeat: deinde veſicatoria et antispasmodica volatilia hoc in morbo commendat, putatque, electricitatis vim in ſpasmis chronicis oeſophagi cerni; tum vapores ſtimulantes, e. g. aſae foetidae, in fauces admiſſos, vtiles exiſtimat: ac denique clyſteres nutrientes, balnea, emollientibus et nutrientibus repleta, in iis adhibenda ſuadet, de quorum ſanitate pene confectum ſit. p. 96.

9) *De calculis corporis humani tractatio, qua oſtenditur eſſe eosdem diuerſi generis.* Auctore AMBROSIO DAWSON M. D. et coll. medic. ſoc.*) Quam ipſe iam intuitus docet diuerſitatem calculorum, eam chemica disquiſitione certius cognoſci oſtendit Cl. Auctor. Vſus eſt ad calculorum p. 105.

*) lecta d. 15 aug. 1769.

lorum naturam determinandam et lixiuio cauſtico facto e ſalis tartari vncia vna, calcis viuae vncia duabus et dimidia, vel tribus, et aquae fluuiatilis vnciis viginti quatuor; et ſpiritu ſalis marini acido. Cum his ſeparatim inſtituit experimenta, quae enarrat, et vidit calculos varios, varia ratione a menſtruum ſolui; alios calculos menſtruo alcalino
p. 119. ſolui et acidum reſpuere; alios ab acido tangi, a alcalino contra irreſolutos manere; quosdam alternantem acidi et alcalini menſtrui requirere vim; nonnullos in neutro horum menſtruorum ſolui; eſſe denique in vno homine calculos oppoſiti ge-
p. 110. neris. Generatim notat mutationes, in ſuperficie calculorum, qui lixiuio cauſtico ſoluuntur, conſpiciendas, vt nimirum remaneant in eadem rotundae paruae, eaque fiat coloris obſcurioris, ſecedantque brunae laminae: tum calculi fiant albidiores, menſtruumque colore viridescente deſidat. A calculis, acido ſolutis, minus ſedimenti deiiciebatur, quam ipſe calculus fuerat: hinc ſuſpicari quis poſſet, aerem fixum conſtituiſſe calculum atque auolaſſe; ſed euaporatione edoctus vidit Cl. Auctor, haerere illud ſolutum in menſtruo. Quum igitur tam varia requirantur menſtrua, quibus calculi ſoluantur, diligenter disquirendum eſt in curatione calculoſorum, quaenam ſit eorum natura; atque ſuadet Cl. Auctor, vt plura menſtrua quaerantur, quibus calculi ſolui poſſint: quibus inuentis, facile etiam inuenire putat rationem, ea corpori humano applicandi.

p. 123. 10) *De morbis hepatis tractatus.* Auctore GVILIELMO HEBERDEN *). Non morbos hepatis ſolum, verum inprimis mala ex bile depranata laeſioneque in ductibus eiusdem orta, hic experienti

*) lecta d. eodem.

rientia ſua cognita et definita, ample ſatis pertractat Cl. Auctor. Obſtructionem ductuum biliferorum frequentem, vix vero ſemper periculoſam iudicat. Deinde agit de origine calculorum, eosque in cyſtide fellea naſci, vel ſaltim ibi creſcere putat. Tum ſymptomata obſtructorum ductuum refert, pulſuque tardo ab inflammatione diſtinguit; hocque praeſente et dolore ad ſcrobiculum cordis percepto, icterum ſecuturum praeuideri poſſe affirmat. Dolor vehementiſſimus tum ſentitur, cum ad inteſtinum duodenum venerit lapis: qui non, niſi opio dato, mitigatur. Non concedit Cl. Auctor icterum naſci ab infarcto duodeno, vel, quod SYDENHAMVS vult, in hyſterico morbo; neque, quod ictericis obiecta lurida videantur. Magnos calculos nonnunquam ſine multis incommodis adeſſe poſſe putat; naturamque moliminibus mala magna auertere probat exemplo, quo mulier calculum oliuae magnitudine excreuit, poſteaque ſana facta eſt.

Iam quaedam icteri ſymptomata, eorumque cauſſas refert; pruritus oritur ab acrimonia bilis commixtae ſanguini: interdum ictérici ad diarrhoeam ſunt diſpoſiti, per quam ab ileo morbo icterus diſtinguitur: horror cum ictero coniunctus, et bis vel ter per diem rediens, oritur a calculo, in inteſtinum labente: interdum alimenta amara ictericis videntur. Icterus ſaepe in iisdem hominibus redit, praeſertim ſi a calculis oritur; raro tamen a calculis ortus icterus periculoſus eſt, ſed alii morbi accedunt, qui vitam finiunt. p. 137.

Inter morbos ipſius hepatis Cl. Auctor inflammationem et obſtructionem lentam conſiderat: illa, iuncta cum febre, vel morte ſubita, vel lentiori per ſuppurationem finitur; haec, orta a ſcirrho, frequentior eſt, etiam cum febricula iuncta, et plerumque, accedente hydrope, aegro mortem inducit. p. 143.

inducit. In obſtructione vix dolor ſentitur, ni diaphragma vel aliae vicinae partes etiam affect ſint; aegri vero in humero dextro de ſenſu dolor conqueruntur. Peſſimum ſignum eſt in hoc mor bo icteri abſentia. Morbos hepatis non, niſi i initio, curari poſſe affirmat. Inflammatione p abſceſſum finita, neque abſceſſu in ductum hepa cum vel ad exteras abdominis partes rupto, cum vomitu et odore foedo aegri ſubito moriuntur. Frequentiſſima obſtructionis cauſſa eſt abuſus ſpiritu oſorum: inde tamen aquae Bathenſes, quae in aliis ex ebrietate ortis morbis conducunt, in hoc morbo non adhibendae, cum ſymptomata augeant. Generatim id curandum medico, vt ſymptomata huius morbi moderentur, debilitetur febris hectica, ac ventriculus roboretur.

p. 153. His ſubiungit morbos, qui vel a corruptione, vel a nimia bilis copia naſci dicuntur. Non adeo periculoſam habet abundantiam bilis, neque metuit, ſi in febribus lotium vel oculi bile tingantur. In febribus putridis cauſſam a bile deriuandam eſſe negat, cum bilis nec quantitate, nec qualitate adeo ſit deprauata. Plura tamen de his morbis non affert Cl. Auctor, cum ipſi in praxi non obuenerint.

p. 158. Iam ad curam horum morborum accedit. In obſtructione ductuum biliariorum dolor leniendus eſt opiatis ſolis, frequenter datis: vomitus, ſi adeſt, cum dolorem plerumque tollat, iuuandus; ſi abeſt ab initio, ſtatim excitandus eſt: eo autem diutius protracto, opium exhibendum: purgantia vtilia cenſet; eaque reliquis praefert, quae blande vim ſuam exſerant. In ictero, cum aluo libera coniuncto, id videndum, ne nimia fiat, atque vt ventriculus amaris roboretur; pruritus vehemens opium requirit. In calculis curandis lithontriptica parum vtilia certaque iudicat. Fortiſſima enim eorum in calculis,

calculis, praeter quandam paucarum particularum
ſolutionem, vix quidquam mutare, neque in vias
calculorum venire poſſe. Eo tamen haec remedia
iuuare concedit, vt, loco bilis, alimenta ſoluant.
Reiicit omnia ſpecifica. Denique addit, biliarias p. 170.
concretiones plerumque cauſſam eſſe doloris in ven-
triculo, et chronicae nauſeae, ſenſusque plenitu-
dinis: quam cauſſam diligenter attendi iubet, iudi-
catque purgantia et vomitoria lenia optimi vſus eſſe.

11) EIVSDEM *de febre vrticata* tractatus. *)
Morbum hunc interdum eſſe periculi plenum iudi- p. 173.
cat, atque dein ſymptomata eius, cauſſas, ac morbi
hiſtoriam recenſet. Cauſſas disquirens, ample ſatis
cauſſas externas, quae ſimilem effectum producant,
enumerat: oriri interdum hunc morbum aſſerit ab
externo cantharidum, internoque radicis valerianae
vſu. Quamquam vero nonnunquam a cauſſa interna
naſcitur; vix tamen remedia alternantia in cura
eiusdem eſſe neceſſaria ſtatuit.

Morbi hiſtoria, communicata a Cl. MONSEY,
haec eſt: vir, triginta annorum, macro corporis p. 185.
habitu, in aere libero ſolique expoſito ambulans,
pruritum ſenſit, qui eo augebatur, vt ardor do-
lorque accederent: aere libero relicto, morbus
ceſſabat. A ſolis calore morbus non pendere
videbatur: hyeme enim eundem dolorem percipie-
bat. Balneis ſalinis fruſtra vſus eſt. Cum aliquan-
do ipſo medio calidoque die balneum tentare vel-
let, exutusque ad mare tenderet, ita quidem mor-
bo ſuo afficiebatur, vt cogeretur in terram ſe deii-
cere; inde tamen lenimen quoddam ſentiebat.
Tandem ad Cl. MONSEY accedens, variis reſol-
uentibus, fruſtra tentatis, mercurio dulci exhibito,
cum eo, ad initia ſaliuationis, vſus eſſet, curatus eſt.

12) *Rabies*

*) lect. d. 15. auguſt. 1770.

p. 192. 12) *Rabiei canina, feliciter tractata*, communicata a W. WRIGHTSON, chirurgo. Cum puer, quindecim annorum, a cane rabido laesus esset, Noster, quinto post morsum die aduocatus ligatum illum inuenit. Tertio a morsu die [illegible] vomitu affectus erat, sequenti nocte quietus dormiit, comeditque quarto die cum appetitu; [illegible] vero somnolentia captus, postquam per horas dormiit, subito surrexit, rabidusque factus, ignem ipsum arripuit, seque aliosque mordere cupiit, [illegible] latrauisse instar canis dicebatur. Noster igitur [illegible] quatuordecim horas primi morbi impetus accessit in eo inuenit languidam anxietatem, oppressionemque, atque in faucibus pectoreque sensum suffocationis, ita, vt paroxysmus redire videretur. Sensibus pollebat aeger, pulsu debili, at regulari praeditus, absentibus signis vel inflammationis, vel febris, vel sitis. Aquae, ei propinatae, parum copiam bibit; paullo post vero eam deglutire non potuit. Crura eius obducta fuerunt crusta tenui sicca, striis rubris interspersis.

p. 195. Primo venae sectio ad duodecim vncias sanguinis instituebatur, ac, cum inde spasmi minuerentur, tincturae Thebaicae guttae viginti aegro exhibebantur. Postea qualibet tertia hora pilulam edidit Noster, in qua opii granum vnum et dimidium continebatur, bolumque, qui confectus esset e moschi granis quindecim, cinnabaris natiui granis decem, totidemque factitii, qualibet sexta hora assumendum. Extus collo imponebatur camphora, tinctura Thebaica soluta. His per duo dies adhibitis, die tertio spasmi cessarunt, praeter, quod difficilis deglutitio remaneret. Aluo obstructa, clysma oleosum iniiciebatur: cumque ventriculus bolum non amplius ferret, ille omittebatur, et opiata

*) lecta d. 15 august. 1770.

opiata pilula mane et veſperi continuabatur. Sequebantur ſudores critici. Vrina per omnem morbum turbida et pauca erat. Sanus videbatur aeger, appetitu tantum carebat: quare medicamenta ſeponebantur, ſicque aeger tandem convaluit.

13) Epiſtola ad D. ADEE, Auctore DANIELE LYSONS *). Agit Cl. Auctor de vi corticis interni *Vlmi campeſtris* LINN., eamque in morbis cutaneis cerni, quinque exemplis confirmat. Primum eſt ſcabiei chronicae in muliere, quae autumno oriebatur, et, per hiemem durans, vere iterum euaneſcebat. Corticis huius decocto, data bis die menſura vna, intra menſis ſpatium curata eſt. Neque quidquam adhibitum fuit, niſi ſemel bolus mercurialis, emmenagoga quaedam, extuſve ceratum commune. Alius etiam, totus cruſta alba leproſa obductus, cui extremitates tumidae dolebant, atque in quibusdam corporis locis puſtulae erumpebant, cum huius decocti dimidiam menſurae partem bis per diem cum nitro ſumſiſſet, ac ſemel aluum purgante mercuriali euacuaſſet, cadente poſt ſex dies omni leproſa cruſta, ſeptimanis quibusdam praeterlapſis ſanus eſt factus. p. 203.

Praeterea probat Cl. Auctor, huius remedii vſum, ſi diu ſatis continuetur, eſſe ſatis certum exemplis, e quibus illud feminae cuiusdam afferamus, quae exanthematis, vere et autumno renaſcentibus, eroſionibusque manuum ichoroſis laborans, decocto hoc, aliquamdiu adhibito, curata videbatur; autumno vero malum reuertebatur. Hinc mulier remedio diffiſa ad tabacum confugit. Cum autem vere ſequenti morbus iterum rediret, de-

vocto

*) lecta d. 31 octobr. 1770.

ecto hoc rurſus vſa eſt eo, vt exanthemata eru neſcerent; autumnoque decocti vſum prius repe tebat, quam exanthemata erumperent. Atque ita perfecte eſt ſanata. Decocti proportio haec eſt, u corticis interni vlmi vnciae quatuor aquae ſim plicis menſura vna coquantur. Saporis eſt leniter adſtringentis; vere praeparatum, colorem offer purpureum; alio autem anni tempore magis et brunum. Auctor corticem ſumſit tenerorum ra morum vel radicum; purgantem vim ei non tri buit. Curatione, ex voto ſuccedente, prius po ſtulae augeri videntur.

p. 216. 14) *De quorundam fungorum noxiis effectis*, C. Auctore W. HEBERDEN *). Fungi, qui habe bantur campeſtres, eſi a viro mediae aetatis, mu liereque eius, et eorum nato, ſymptomata haec produxerunt. Vir poſt 5 minuta rigidus totus, ne oculos quidem mouere poterat; obiecta ei colores variare videbantur, ſentiebatque palpitationem ventriculi, atque totum eius corpus intumui Inſcius actorum, loqui non poterat. Poſt 4 horas parum ſenſit incommodi: ſumto, cum iterum aegre ſe ſentiret, vitrioli albi ſcrupulo vno, ter repetito, vomituque ſubſequente, in priſtinam rediit valetu dinem. Mulieri eadem enaſcebantur mala; diutur niora tamen et per menſem durantia. Laborabat enim ſenſu caloris grauitatisque in pectore, ven triculo et inteſtinis, cum ſimul flatibus et hyſteri cis paſſionibus ſubdita eſſet. Puer, cum parum comediſſet, aliquos tantum ſenſit ſpasmodicos af fectus. Nulla generatim aderant ſigna acris veneni. Fungi dicuntur fuiſſe ad RAII ſynopſin duo; 1) Fungus paruus pediculo oblongo, pileolo hemi ſphaerico, ex albido ſubluteus; 2) Fungus minimus,

*) lecta d. 31 octobr. 1770.

mus, e cinereo albicans, tenui, at praelongo pediculo, paucis ſubtus ſtriis.

15) *Hiſtoria hydrophobiae*, Auctore Cl. FALKENERO, chirurgo Southwellenſi in Nothinghamshire *). Morſa à cane mulier, poſtera die, omnibus rabiei caninae ſymptomatis affecta, curata eſt ſolo fere mercurii vſu. Praemiſit Cl. Auctor venaeſectionem, fricuitque partem laeſam vnguento mercuriali. Interne dedit bolum, factum ex turbethi mineralis granis tribus, tantundem camphorae, cum conſerua cynosbatorum. Bolo per quatuor dies mane ſumto, morbus continuo augeri viſus eſt; quinto vero die ſenſus redierunt, nec paroxysmi adeo ſaeuierunt. Cum ei aqua potrigeretur, reſpuit eam abhorrens: reiterata autem, etiam in ſpina dorſi, frictione, bolique vſu continuato ſaliuatio excitata eſt. Atque tum mulier reualuit. p. 221.

16) *Relatio methodi correctae, magneſiam albam parandi*, Auctore THOMA HENRY Pharmacopoeo Mancheſtrenſi, communicata a RICHARDO WARREN M. D. etc. **). Magneſiam, quae vulgo adhibeatur, aut male eſſe paratam, aut, quod etiam peius eſt, creta vel calce remixtam putat Cl. HENRY. Hinc methodum offert, quae puram, albam, inſipidam atque fere impalpabilem praebeat magneſiam.

Eſt vero ea haec: ſal catharticum amarum Epſomenſe ſoluatur in aequali aquae pondere; filtretur et ſenſim addatur ſolutio cinerum perlarum, quae leniter agitentur, donec inter ſe coagulauerint. Deinde protinus fundatur mixtura in vas,



*) lecta d. 31 octobr. 1770.
**) lecta d. 2 ſeptembr. 1770.

aqua bulliente plenum, coquatur per quartam horae partem, ac tum refundatur in vas fictile vitrea cruſta obductum. Tum, puluere ſubſidente, aqua decoletur, eaque rurſus feruida infundatur: quibus eo vsque repetitis, donec liquor careat ſapore ſalino, agitetur puluis, vt ſubtiliores ſupernatent particulae; ſicque decantetur in aliud vas, ſeparataque aqua e magneſia, haec ſuper cretam ponatur, vt aqua inſugatur; poſt magneſia chartae includatur atque ad ignem ſiccetur. Ita etiam reliqua pars magneſiae tractetur, obtinebiturque aeque ſubtilis puluis. Quo maior aquae copia, eo ſuccedit celerius paratio: multumque intereſt, vt aqua ſit pura, celeriterque ſiccetur puluis.

p. 235. 17) *Quaedam inſolita exempla de curatione hydropis*, collecta et communicata a GEORGIO BAER, M. D. etc. Eo exempla, hic collecta, redeunt, vt doceant, copioſum potum, qui a multis noxius in hydrope habeatur, ſi aegri eum appetant, ſaepe hunc morbum tollere. Primum, a Cl. RHODIO communicatum, eſt viri aſcitici, ſeptuaginta annorum, qui morbo ita affectus erat, vt morti proximus videretur: hinc, vt vitam miſeram leniret, quotidie bibit aquae frigidae menſuram vnam et dimidiam. Atque hac quidem, per quatuordecim dies pota, ſymptomata vsque aggrauabantur; tum vero, cum aqua et per aluum, et per vrinam excerneretur, aeger ſanabatur. Aegra, cuius hiſtoriam Cl. HVNNIVS tradit, idem fere confirmat. Erat ea annos nata viginti, cum hydrops infeſtaretur: in quo morbo, multis incaſſum adhibitis, ſiti admodum cruciata aegra bibit tenuem ex arbitrio cereuiſiam. Inde cutis findebatur, atque, magna aquae quantitate effluxa, ſanitati aegra

*) lecta d. 9 ſeptembr. 1771.

aegra quidem reſtituebatur; tandem tamen iterum incidebat in hydropem, quo etiam moriebatur. Reliqui duo aegri, vino pomato, largiter epoto, curati ſunt; prior erat mulier, a partu praeternaturali, nimiaque lochiorum effuſione hydropica facta; poſterior, vir mediae aetatis, qui ex intemperantia ſibi hunc induxerat morbum.

Alia hydropis curati hiſtoria a Cl. MVDGE p. 250. communicata, ſubiungitur. Mulier quaedam ſenſim increſcente hydrope affecta erat, qui, cum Cl. MVDGE aegram videret, iam per ſeptemdecim annos eam occupauerat. Abdomen ita expanſum erat, vt aſcitico ſimillimum videretur; durities tamen eiusdem metum Noſtro, vt et aliis medicis, iniecit, eſſe viſcus quoddam ſcirrhoſum. Quare nihil in ea curanda auſus eſt. Poſt duo annos, cum aegra rheumaticis doloribus in regione lumborum occuparetur, dabatur ei puluis DOVERI, compoſitus maximam partem ex ipecacuanha et opio, eum quidem in finem, vt diaphoreſis promoueretur. Sumto vero hoc puluere altera vice, aegra non ſolum dolorum lenimen ſenſit; ſed etiam per lotium magnam aquae quantitatem eiecit, quod etiam ſecutum eſt, cum tertia vice puluerem ſumeret. Atque ſic hydrops, qui viginti propemodum annos durauerat, intra quadraginta et octo horas caſu plane eſt curatus.

18) *Morbus* Thomae Wood, molitoris Billerica- p. 259. genſis, *communicatus* ab EODEM *). Diaetam recte ordinatam, iuſtamque abſtinentiam in morbis maximi eſſe pendendam, putat Cl. BAKER hoc exemplo probari. *Wood* enim ille dictus, a virili aetate gulae indulgens, quadrageſimo aetatis anno admodum obeſus redditus, quadrageſimo ſecundo multis

 morbis,

*) lect. d. eod.

morbis, rheumatismis, insultibus arthriticis, epilepsi cisque, praesertim terribili suffocationis sensu labe rabat. Quibus omnibus, diaeta sensim correcta paullatim quoque liberatus est. Qua adeo para tandum vsus est, vt cibo tantum vesceretur, qui ex pane bis cocto, et lacte pararetur, omnique potu, etiam aqua abstineret, motum corporis frequenter exerceret, somnoque vltra 6 horas non indulgeret. Insigni hinc animi hilaritate corporisque viribus fuit praeditus; perspirationem non percepit; pulsus eius tardus fuit, quadragies per minutum primum pulsans; vrinae mensuram vnam et dimidiam, ambrae instar coloratae, per diem excreuit: aluum semel duobus diebus euacuauit, a frigoris tempestatumque vim non sensit.

p. 275. 19) *Obseruationes ad methodum hodiernam inoculationis varjolarum*, Auctore EODEM *). Obseruationibus et experientia sua continuata supplet hic Cl. Auctor, quae in prima tractatione deerant, vt ea, quae incerta et obiectioni subdita sunt, ex methodo insitionis expungantur; ea contra, quae insitionem corrigant, dignaque sint, quae assumantur, magis appareant. Quare primo disquirit, quatenus praeparatio generalis, neglecta aetatis, corporis habitus, et anni tempestatis ratione, ante insitionem per experientiam excusari queat. Atque hanc quidem generatim reprobandam esse et ratio, et experientia satis docent. Mercurium, quem tamquam praeparans, vi specifica praeditum, multi laudant, Ipse etiam Cl. Auctor in iis, vbi non aderat quoddam contraindicans, vt vtile purgans dedit; non tamen ei, qua mercurio, vim quandam tribuit, sed potius in euacuatione ponit vsum.

Cum

*) lect. d. 19 Sept. 1771.

Cum vero Cl. GATTI *) omnem praeparationem reiiciat; Noſter mediam viam eligit, atque ad aegros attendi iubet, a quorum natura appareat, ſintne euacuationes neceſſariae, an vero noceant. Deinde modum variolas inſerendi diiudicat, eumque optimum cenſet, qui ſit ſimpliciſſimus, et ſola acu fiat, omiſſis omnibus emplaſtris. Ita enim non mala ſolum externa, a perſpiratione ſuppreſſa oriunda, eſſe abfutura; ſed etiam certius praedici poſſe, ſitne aeger a metu infectionis liber, nec ne, omnesque morbi mutationes quotidie ita attendi. Etſi non multum interſit, an pus crudum vel maturum adhibeatur; fluidum tamen et recens praefert.

Tum ipſam aegros in variolorum morbo tra- p. 292.
ctandi rationem definit. Ab initio purgantia, et fortiora, et ſaepius repetita, prout res requirunt, omninoque antiphlogiſtica medicamenta danda eſſe, frigidumque regimen tenendum. Diaphoretica et calida medicamenta igitur reiicit cuncta, neque illa indicari recte cenſet per lenem perſpirationem, quae ſit ſignum variolarum benignarum: eam enim prius vix ſentiri nouimus, quam febre quodam modo remittente. Eruptione facta, praeſertim ſi puſtulae ſunt copioſae, anodyna vtiliter dari dicit; SYDENHAMO tamen hic non credendum, qui liquido laudano nimis tribuit: opio enim raro, et non, niſi in ſummis doloribus, vtendum exiſtimat Cl. Auctor. Iterum purgantium cautum vſum laudat; monet tamen etiam de cauendo eorum abuſu, vnde plurima, praeſertim tabis mala ſequantur. Poſtea etiam liberi aeris acceſſum, de quo in priori tractatione amplius egit, vtilem praedicat: interim nimio eius vſu contagium diffundi

 notat.

*) vid. EIVSD. réflexions ſur la prâtique de l'inoculation.

notat. Praeterea probat, variolos inſertos prius finiri, quam naturales, confirmatque idem exemplis matrum lactantium, variolis infectarum; quarum infantibus quarto poſt eruptionem die varioli inſerebantur, iique ſolito tempore morbo liberati ſunt: matres vero poſtea variolis mortuae.

p. 311. De grauidarum mulierum, lactentiumque infantum inſitione dubium euentum eſſe docet. Interdum quidem rem fauſte ſucceſſiſſe; nihilo tamen ſecius, cum plures etiam moriantur, tentamen videri periculi plenum. Quod illuſtrat caſus, qui Ipſi obuenit. Mulier ſana, per ſex menſes grauida, cum ei varioli inſererentur, ſymptomatis ſat leuibus, puſtulisque non adeo multis occupabatur, vsque ad diei quarti ab eruptione veſperam: qua abortus ſymptomata oriebantur, eique per ſubitam violentamque haemorrhagiam vitam eripuerunt. Non conſentit cum Cl. MEAD, qui infantes liberos a variolis cenſet, ſi matres grauidae iis laborant, neque, quod infantes in vtero variolis ipſi infeſtentur.

p. 320. His ſubiungit quasdam quaeſtiones, aliis ſoluendas. 1) cur, ſi noſtri varioli conueniant cum Arabum variolis, RHAZES et alii nihil dixerint de contagio, et de eo, quod ſemel tantum homines occupent? 2) Vnde pendeat diuerſus effectus vnius variolorum miasmatis, naturalis vel per inſitionem, vtrum a miasmatis ipſius natura, an a parte prius infecta? 3) cum quaedam ſit ſimilitudo inter virus varioloſum et venenum animalium rabidorum, atque in vtrisque inflammatio antecedat communicationem cum reliquo corpore; vtile indicat, partem affectam excidere ante communicationem.

18) *Relatio quorundam inſolitorum morborum*, p. 325.
Auctore DONALDO MONRO M. D. etc. *)

1) *Inſolitus ſcorbutus.* Vir, nouemdecim annorum, ſatis apta, animali tamen vſus diaeta, poſtquam patriam mutaſſet, vtereturque parco corporis exercitio: poſt dimidium fere annum occupabatur laſſitudine ex minimo motu, faucium tumore, haemoptyſi, rubrisque maculis intus in labiis, et genis; vuula, velum palati, lingua, et ſuperficies interna buccarum erant nigra: quod ex nigro, congrumatoque ſanguine proficiſcebatur. Pulſus ſatis plenus et fortis; omneque corpus nigris maculis repletum. Noſter ſtatim venae ſectionem inſtituere iuſſit, atque bibere mixturam ſalinam nitroſam, ſequentique die aluum purgare. Atque, cum animaduerteret eſſe verum ſcorbutum, morbumque celerrime increſcere, diaetam omnino vegetabilem praeſcripſit, aliaque iunxit remedia ſalina, quibus addidit corticem Peruuianum. Morbus tamen ſemper increuerat, per menſem vsque: quo ſymptomata omnia celeriter ceſſarunt, aegerque non diu poſt ſanatus euadebat.

2 et 3) *Venereorum vlcerum*, et *cariei in vertebris colli hiſtoriae.* Prima concernit virum, cui, gonorrhoea male curata, glans omnis exedebatur, totusque penis ad inſignem intumuerat craſſitiem, vlceribusque erat obſeſſus. Is, cum mercurii, corticis Peruuiani, qui inſigne alui profluuium excitauerant, aliorumque remediorum balſamicorum et cicutae, atque diaetae lacteae, inprimis factitiae vſus eſſet irritus, vlceribus ſemper increſcentibus adeo, vt tandem muſculos exederent, haemorrhagia, quae ex arteria epigaſtrica, a cancro eroſa, ſequebatur, mortuus eſt. p. 337.



*) lecta d. 4. decembr. 1771.

P. 345. Altera continet viri quadragenarii morbum, qui, cum ante quosdam annos venereo morbo laborasset, postea febre hectica affectus est, dolore que vehementi in collo. Mortuus offerebat praeter pulmonum vlcera, abscessumque in cerebro, cariem primae vertebrae et ex secunda processus odontoidei.

P. 348. 4. *Febris intermittens pertinax.* Febris haec, quae militem per duo annos vexauit, omnibus remediis, amaris, etiam cortici Peruuiano resistebat, donec, mercurio dato, saliuatio excitaretur: qua finita, et cortice nutrienteque victu, dato aeger sanatus est.

P. 353. 5. *Tumor cerebri, per os frontis protrusus.* Supra supercilia viri cuiusdam tumor, duos pollices latus, dimidiumque eleuatus, oriebatur a causa ignota: pulsabat, atque pressus dolores stuporemque excitabat; perforabat os frontis, cuius latera carioſa inde erant reddita. Nihil, quod ad eius curam spectaret, tentari poterat; sed aeger paulo post, aucto tumore, mortuus est: atque inuentum cerebrum e situ suo locatum, quod hunc tumorem effecerat.

P. 358. 6. *Hydrocephalus.* Infantem, decem annorum, hydrocephalo enormi affectum refert, cuius ambitus sit duorum pedum atque quatuor pollicum, et longitudo octo pollicum. Interim infans sensu memoriaque pollet, ambulareque potest. Febris vero vel minima illum laedit.

P. 361. 7. *Ossificatio in mesenterio.* Mulier sana, mense ante mortem, horroribus infestabatur, qui, dato cortice, euanuerunt: sanguinem postea exspuit, sudoresque experiebatur colliquatiuos, diarrhoeamque, qua moriebatur. Post mortem aperta ostendebat pleuram pulmonibus concretam, putreque repletam cauitatem. Glandulae meseraicae omnes

omnes erant induratae et plurimae etiam offificatae, conſtantes e pluribus lapillis, membrana involutis. Ileum atque coli initium intumuit, intimaque eius tunica ſphacelo tacta reperiebatur.

19) *Relatio feliciter ſuccedentis inſitionis variolorum in* Iamaica, *ſcripta a* IOANNE QVIER medico practico ibidem, ad D. DONALD MONRO*). p. 366.
Methodum inſerendi exercuit Cl. Auctor, quae nouiter recepta eſt, vt regimen frigidum ſimul obſeruetur; praeparatio tamen retineatur: atque ita quidem plurimos aethiopes curauit. Generatim adultos aeque feliciter, atque infantes, atque grauidas primis menſibus proſpere inoculationem ſubire monet. Sicque eodem ſucceſſu eam adminiſtrari refert in venereis, elephantiaſi, morbis cutaneis, vlceribusque inueteratis affectis. Inſuper affirmat morboſorum horum variolos fuiſſe mitiores iis, qui in ſanis exorti ſunt. Vſum vero mercurialium et purgantium in illis neceſſarium eſſe. Victu vtebantur aegri vegetabili, ſique mercurio ſaliuatio excitari videbatur, ſimila vel oryza iis praebebatur. Ex medicamentis, quae ad praeparationem adhibentur, mercurio dulci et tartaro emetico plurimum tribuit. Frequentes purgationes aethiopes ad hydropem ducere refert.

Nihil intereſſe putat, ſitne pus ex bonis, an ex confluentibus puſtulis deſumtum, quin imo in poſteriori caſu fuiſſe pauciores variolas. Repetendamque iudicat inſitionem, ſi poſt ſeptem dies nulla indicia fuerint inflammationis. Si inſeruntur varioli in hominibus, qui eos iam contagio acceperunt; nulla inde ſequuntur damna. Emplaſtris tum demum vtitur Cl. Auctor, cum vlcera oriuntur. Quo citius et vehementius oritur inflammatio, p. 393.

*) lecta d. 14 decembr. 1771.

tio, eo facilius ſuccedit morbus. Interdum facies, pectus, imo totum corpus et extremitates ante eruptionem variolorum obſeſſa ſunt exanthemati, quae ab vſu mercurii proficiſcuntur. Tum igitur hunc ſeponendum eſſe patet; adhibenda contra antiphlogiſtica, liberoque aeri corpus exponendum. Diſputat deinde de infectione, atque ſignum eiusdem dicit ſenſum prurientem axillarium glandularum: illosque, qui ſemel variolis laborarunt, liberos ab iis dicit.

p. 414. His ſubiungit alios quosdam cum variolis coniunctos morbos, vt opthalmiam ſiccam, impetiginem et eryſipelas, quorum curam ſimul addit.

p. 420. 20) *Obſeruationes de veneno plumbi continuatae**), Auctore GEORGIO BAKER. M. D. etc.**) Confirmantur hoc tractatu noxae, quae ex vſu plumbi oriantur. Potiſſimum et Cl. Auctor, et alii, qui obſeruationes cum Eo communicarunt, viderunt poſt vſum vini pomati, quod in vaſis plumbeis repoſitum fuiſſet, vehementiſſimam colicam ſecutam eſſe, manusque pedesque non moueri potuiſſe. Idem comprobat vſus ſaturninorum, quae intus ſumta dolores in inteſtinis, colicam, atque alia plurima mala excitauerunt, quod Cl. Auctor et aliorum probat teſtimonio, et ſui ipſius experientia confirmat. Morbus Indorum ab eadem pendet cauſſa, cum potum acidum vaſis plumbeis ſeruent, atque etiam ſaccharum his in vaſis paretur. Quare omnino plumbi vſum et medicum externum Cl. Auctor reiicit. Effluuia plumbi eſſe venenata typographorum exemplo illuſtrat, qui, cum plumbeos calidosque typos imprudenter attingunt, paralyſi contra-

*) vid. medical Transact. Vol. I. p. 175. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 203 ſeqq.

**) lecta die 11 Decembr. 1771.

contractioneque digitorum afficiuntur; hoc tamen in noſtris terris, vbi frigefacti adhibentur typi, non valere cum Cl. KRAVSIO translatore monemus. Eadem iis oboriuntur mala, qui ſpecula parant.

Cura prophylactica conſiſtit in vſu nutrimenti p. 456.
vnctuoſi lubricantisque; curatoria vero requirit euacuantia lenia, ſatis tamen agentia: plurima diaetae regimen, praecipue lactis ſobrius vſus, praeſtat; in ipſo paroxysmo opio vtendum. Aperti poſt mortem, qui colica laborauit, refert hiſtoriam; cui omnia viſcera infimi ventris, praeter paruas concretiones in veſicula fellea, ſana fuerant. Cerebri ſubſtantia reperiebatur ſolito mollior, et ſanguinis dimidia vncia extra vaſa miſſa erat. Muſculi fere plane deſtructi.

21) *Relatio duorum exemplorum veri ſcorbuti,* p. 471.
*qui ortus erat ex defectu conuenientis alimenti*, Auctore FRANCISCO BILMAN M. D. et Cl. RADCLIFFE communicata per Cl. BAKER *). Mulier quadragenaria laſſitudine inſigni vagisque per totum corpus doloribus occupabatur: dyſpnoea praeterea laborabat, pulſu debili celerique, lingua bruna, faucibus ſpongioſis, ſanguinem mox fundentibus, halitu foetido, omnique corpore emaciato, ita, vt pedum cutis, maxime rigida, attactu creparet. Pedes vlceribus pleni, atque, vti et antibrachium, cruſta obducti. Poſt quemlibet motum tota fere obrigeſcebat. Iisdem ſymptomatis morbi ſcorbutici affecta erat eiusdem ſoror; non tamen eodem in gradu. Ortus erat hic morbus a miſera viuendi ratione, cum his mulieribus praeter theae potum, panisque vſum nihil datum eſſet. Curatae ſunt aegrae, cum ſerum, ex herbis antiſcorbuticis paratum, biberent, ac diaeta lactea cum malis

*) lecta eod. die.

malis aurantiis vterentur, et corticis Peruuiani tres drachmas per diem ſumerent.

p. 486. 22) *Exemplum hydatidum, quae tuſſi eiiciebantur, relatum a* IOANNE COLLET. M. D. communicatum et annotationibus auctum a D. BAKER *). Mulier, 33 annorum, tuſſi afficiebatur, qua, cum per quatuor annos grauibus ſat ſymptomatis ſtipata duraſſet, tandem ſpatio quatuor menſium, 135 hydatides, variae magnitudinis eiectabantur. Hydatides eiectae ruptae erant, nullo omen, praeter tenacem pituitam, eas vel antecesſerat, vel ſequebatur aqua. Tumor quosdam ante morbum menſes in inferiori regionis epigaſtricae parte oriebatur, extenſus ad dextrum hypogaſtrium, omneque praeterea abdomen diſtenſum, ac ſtercore refertum erat. Vſa eſt mulier pilulis reſoluentibus ex gumi ſaponaceis et ſquilla compoſitis, atque mercurii dulcis paruam doſin aſſumſit; quibus remediis ita reſtituta eſt, vt lectum relinquere poſſet, omnemque praeberet ſpem melioris valetudinis.

p. 492. Annotationes Cl. BAKERI hydatides in duas diuidunt ſpecies, alias regulariter quaſi organiſatas, et cum vaſis per pedunculos nexas; alias cyſtide communi incluſas, atque plerumque hepati vicinas. Poſterioris ſpeciei hydatites, prius deſcriptas, fuiſſe affirmat, ac coniicit viam ex cyſtide per morbum effectam fuiſſe ad tracheae ramum.

p. 499. 23) *Quaeſtiones* Auctore GVILIELMO HEBERDEN **). 1. Cum cruſta inflammatoria et in multis morbis inflammatoriis abſit, et ex aliis cauſſis oriatur, Auctor ad quaeſtionem, an eius praeſentia methodum curandi dirigat, ita reſpon-

*) lect. d. 14. decembr. 1771.
**) lect. d. 21 iul. 1768.

det, vt huic ſigno parum vel prorſus nihil tribuendum, ſed ad alia ſymptomata reſpiciendum cenſeat.

2. Deinde negat ſymptomata periculoſa herniae incarceratae naſci a praeternaturali ſtrictura aperturae tendineae in muſculo obliquo ſuperiori. Nam et dolores alio in loco ſentiuntur, et probabilius eſt, ſequi ſymptomata ab inteſtinorum, perverſe poſitorum ſpasmo, quod comprobant auxilia a balneis calidis, vſusque remediorum purgantium per clyſteres ſalutaris. Generatim in hoc morbo vtilem inuenit Cl. Auctor copioſam et repetitam venaeſectionem, vſum balneorum calidorum reiteratum, veſicans abdomini applicatum, per clyſterem iniectum tabaci fumum, pilulas ex extracto catarthico, iuncto opio, factas, atque ſolutionem ſalis catarthici. p. 506.

3. *) *Dubitat de noxis camerarum, veſtimentorum ac lectorum humidorum*, atque eas impuritati vaporum tantum tribuit, multisque exemplis probare annititur tantum abeſſe, vt aer humidus noceat, vt etiam ſaepius ſit ſalutaris. p. 521.

4. *Aperiendae venae in haemorrhagiis* **) vſum in dubium vocat, cum arteriae magnae per eam non contrahantur, paruae vero per ſe concidant: aliaque laudat, frigidum aerem, quietem, nutrimentum parcum, potum acidulum opiata atque purgantia. Hinc tamen nondum ſequi cum Cl. KRAVSIO putamus, venaeſectionem in haemorrhagiis omnino eſſe negligendam. p. 529.

*) lect. d. 15 auguſt. 1770.
**) lect. d. 11. decembr. 1771.

II.

*Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch etc. Fünftes hundert, mit einer Vorrede Herrn* D. C. I. TREW; *verlegt, gemahlt und in Kupfer geſtochen von* Nic. Fridr. Eiſenberger. *Nürnberg.* 1765. fol. Text. plag. 20. *Sechſtes hundert, oder Beytrag zum blackwelliſchen Kräuterbuch; eine Sammlung der Gewächſe, welche zum Arzneygebrauch in den Apotheken aufbehalten werden; deren Beſchreibung und Kräfte angegeben, die Abbildungen gröſtentheils nach der Natur gemacht, und alle Arten mit bewährten Nahmen der Kräuterlehrer erläutert ſind: mit einer Vorrede Herrn* D. CHRIST. GOTTL. LVDWIG *herausgegeben, gemahlt und in Kupfer geſtochen, von* Nic. Fridr. Eiſenberger. *Nürnberg* 1773. fol. Text. plag. 20½. praefat. plag. 1.

h. e.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum etc. *Centuria VIta:* cum praefat. D. C. I. TREW; excudit figuras pinxit, atque in aes incidit Nic. Frid. Eiſenbergerus. Nürnberg 1765. *Centuria VIta:* ſiue Herbarii Blackwelliani Auctuarium; cum Praefat. D. CHRIST. GOTTL. LVDWIG ibid. 1773.

Etſi aliquoties nouae huius Herbarii editionis mentionem fecimus *); denuo tamen quaedam de eadem referre debemus, inprimis, cum opus nunc

*) vid. commentar. noſtr. vol. II. p. 73. vol. VI. p. 146 et vol. IX. p. 103 ſqq.

iunct sit plane confectum atque absolutum. Blackwellianum textum ex Anglica in Latinam linguam translatum, nomina plantarum synonymica copiose apposita, plantas descriptione accurata illustratas, ipsasque delineationes fere omnes emendatas, et iconibus, quae floris fructusque speciales partes repraesentent, auctas fuisse: ideoque nouam hanc editionem priori multis modis praeferendam esse, inter omnes facile constat; multum autem augebitur operis praestantia, si ad auctarium respicimus, quo centum nouae plantae, a BLACKWELLIA omissae, medicatae et venenatae, alioque modo consideratione dignae, et viuis coloribus pictae et descriptae fuerunt. Et de hoc praecipue nunc dicendum erit, prius tamen nonnulla, quae historiam operis concernunt, praemittere debemus.

Ante triginta fere annos Illustris TREWIVS de edendo hoc, aut et emendando atque amplificando herbario cogitabat, sociumque eligebat EISENBERGERVM, virum, ob peritiam pingendi celeberrimum. Aliis vero negotiis obrutus non, nisi primam centuriam, commentario nouo illustrare potuit TREWIVS: hinc in elaborandis annotationibus nostri, eheu desideratissimi! LVDWIGII auxilium ideo praecipue implorauit, quia et apparatum librorum botanicorum copiosissimum, et hortum, rarissimarum plantarum copia instructissimum, possideret.

Ad officia quaecunque paratissimus Noster, lubentissime otium, si modo aliquod habuisset, in eodem perficiendo consumsisset; cum autem Ipsemet operi manum admouere non potuerit, amicis suis, Cll. BOSIO, et BOEHMERO spartam suam tribuit, vsumque bibliothecae et horti concessit; qui etiam centuriae II. III et IVtae textum elaborarunt, et dum postea publico munere, aliisque

negotiis impediti, elaborationem continuare haud potuerint; eandem tamen, ab aliis amicis, botanicesque peritis factam, examinarunt, ita, vt ea hac parte, collaboratorum scilicet, operis absolutio editio nullo modo retardata fuerit. TREWIVS autem cum et alios libros, ac praecipue EHRETI *plantas selectas*, annotationibus illustrandas, instruxisset, et nouas, Blackwellianis tabulis addendas, icones pene multas, secundum naturae typum delineandas, pictori tradere voluisset, omnino fieri debuit, vt euulgatio operis retardaretur, et non exiguum damnum pateretur EISENBERGERVS.

Centuriis demum quinis absolutis, de auctario cogitabat TREWIVS, indicemque, cum centuria quinta exhibuit illarum plantarum, quae illud constituere deberent. Ast et illustris hic medicus anno sexagesimo nono diem obiit supremum, et egregius pictor, variis morbis vexatus, labores continuare non potuit, imo d. 5 aug. anno septuagesimo primo mortuus est. Auctarium itaque, modo inchoatum, perfici haud potuisset, nisi LVDWIGIVS omnem operam adhibuisset, aliorumque auxilia inuenisset. IOH. IAC. OTTO, celebris mercator Noribergensis, consanguineus TREWII ac EISENBERGERI, sumtus ad finiendam huius herbarii editionem concessit, et cum plantarum, centuriae sextae destinatarum, icones, viuente TREWIO, omnes nondum sculptae essent, deficientes suppleuerunt, aliasque substituerunt, ac omnibus annotationes addiderunt, Duumuiri celeberrimi, SCHREBERVS et VOGELIVS, botanices Professores clarissimi. Nonnulla quoque ad conficiendum opus contulisse KNOLLIVM Med. Doctorem, indicemque generalem totius operis, quo variarum linguarum nomina exhibentur,

D. ZWIN-

D. ZWINGERVM, Medicum apud Noribergenſes celebratiſſimum, concinnaſſe, ex praefatione, quam centuriae ſextae praemiſit, et paucis ante obitum menſibus conſcripſit LVDWIGIVS, cognominus.

His in genere praemonitis, ad centuriam quintum reſpicere, et quaedam partim de iconibus, partim de addito textu referre deberemus; cum vero omnia prioribus centuriis ſimillima inueniantur, nolumus ea, quae in commendationem huius editionis alio tempore dicta fuerunt, repetere, potius ſtatim ad auctarium nos conuertamus, et primo indicem delineatarum plantarum exhibeamus. Plantae itaque, quae centuria ſexta accurate delineantur, et viuis coloribus belle pictae, continentur, ſunt:

Aconitum Napellus.
— — lycoctonum.
— — Anthora.
Actaea ſpicata.
Adonis vernalis.
Aethuſa Cynapium.
Allium Victorialis.
Amomi Cardamomi variae ſpecies.
Anethum graueolens.
Anthemis nobilis.
Arbutus Vua vrſi.
Arnica ſcorpioides.
— — montana.
Artemiſia Pontica.
— — Abrotanum.
Aſclepias Syriaca.
Athamanta Meum.
Atriplex hortenſis.
Atropa belladonna.
Bellis perennis variet: ſt. multiplici rubro.
Bidens tripartita.
Bromelia Ananas, fr. rotundo et pyramidato.
Bryonia baccis nigris.
Carlina acaulis.
Carum Carui.
Chenopodium album.
Cicer arietinum.
Cicuta viroſa.
Colchicum autumnale.
Conium maculatum.
Conuoluulus Mechoacanna.
Croton Caſcarilla.
Cucumis prophetarum.
Cucurbita lagenaria.

Cuſcuta Europaea.
Daphne Meſereum.
Daucus Carota.
Dorſteniae ſpecies quaedam, inter quas etiam Contrairerua.
Dracocephalum Moldauica.
Epidendrum Vanilla.
Fumaria bulboſa.
Gnaphalium arenarium.
Helleborus niger, eiusque varietates.
— — viridis cum duplici varietate.
— — hyemalis.
Heracleum Sphondylium.
Hieracium murorum.
Humulus Lupulus.
Hyoſcyamus niger.
Impatiens noli tangere.
Indigofera tinctoria.
Leontodon Taraxacum.
Lichen Islandicus.
Linnaea borealis.
Lycopodium clauatum.
Lyſimachia nummularia.
Lythrum Salicaria.
Momordica Balſamina.
Nerium Oleander.
Nigella aruenſis.
— — Damaſcena.
Oenanthe crocata.
Orchis bifolia.
Panax quinquefolium.
Papauer Rhoeas.
Phellandrium aquaticum.
Phytolacca decandra.
Plantago Pſyllium.
Populus alba.
Prunus Laurocerauſus.
Pyrola rotundifolia.
Rhamnus Zizyphus.
Rheum palmatum.
Rhodiola roſea.
Rhus Coriaria.
Salicornia herbacea.
Scilla maritima.
Scutellaria galericulata.
Selinum ſylueſtre.
Sium Ninſi.
Solanum Melongena.
— — tuberoſum.
Taxus baccata.
Teucrium Chamaepitys.
Triticum repens.
Vaccinium oxycoccos.
Verbaſcum Thapſus.
Verbeſina acmella.
Zea Mays.

*Praeterea Hippomane Mancinella*, cum *Viſco purpureo*, quod priorem arborem frequenter inhabitare ſolet, ex CATESBYO mutuata, eademque auctarii titulus ornatus fuit.

Inſunt

Insunt ergo plantae eximiae, multaeque rariores, quorsum spectat praecipue radicum *Ginseng* et *Ninsi* historia et *Panacis quinquefolii* icon, a Cel. EHRETO data; *Acmella Zeylanica*, *Dorsteniae* quatuor nondum definitae species, *Cardamomi* varii fructus, in officinis conseruati, et icon ex horto Malabarico desumpta, quae semina *Cardamomi minoris* exhibet. et s. p. Inter varias *Hellebori* icones occurrit vna, nondum determinata, *orientalis flore roseo* inscripta, quae vero multum conuenit cum *nigro*, huiusque duae aliae apponuntur varietates, quarum prior solo corollae colore differt, tum lutris, tum rubicundis venis variegato; altera copiosiores radicis fibras habet, et corollam virideſcentibus et roseis venis pictam.

Aliae duae varietates cum *Helleboro viridi* proxime conueniunt, et modo radice, habituque minori differunt. Nonnullarum quoque plantarum, in prioribus centuriis minus accurate delineatarum, nouae additae fuerunt icones, vt sunt: *Taraxacum Leontodon*, *Verbascum Thapsus*, *Atriplex hortensis*, *Rhus Coriaria*; *Conii maculati* etiam repetita et emendata figura cernitur. *Solanum tuberosum*, iam Tab. 34. delineatum, variis radicum figuris illustratur, varietasque peculiaris additur floribus purpuris, tuberibusque nigricantibus conspicua. Plura in commendationem operis huius addere, superfluum esse existimamus, facileque speramus, fore, vt rei herbariae cultores, qui illud incompletum, vel prorsus non possident, eo nunc finito, vel partes suppleant, vel integrum sibi comparent. Integrum opus continet sex centurias plantarum, totidem, imo, cum nonnullae duplici tabula expressae sint, pluribus tabulis delineatarum, viuisque coloribus pictarum. Textus vero cum praefa-

tionibus, indicibus, et variis auctorum, in opere citatorum, catalogis implet. 6 alph. 171. plag.

Iungamus hinc aliud, quod eadem ac Blachwellianum fata habuit, opus, et ante plures annos inchoatum, nunc demum absolutum fuit. Est illud

III.

*Allgemeines Blumen- Kräuter- Frucht und Gartenbuch, in welchem ganz neue, und nach der Natur abgemahlte Figuren von Blumen, Kräuter, Bäumen, Stauden, Früchte und anderen Gewächse vorgestellet werden. Nebst einer lateinischen und deutschen Beschreibung ihrer Theile etc. Ganz neu gezeichnet und mit Farben herausgegeben, a. Nürnberg bey* GEORG. WOLFGANG KNORR. *Gedruckt bey* Ioh. Ios. Fleischmann. 1750. fol. mai. Textus alph. 5. plag. 19. Indic. plag. 8. praefat. pl. 1.

h. e.

Thesaurus rei herbariae hortensisque vniuersalis, exhibens figuras florum, herbarum, arborum, fruticum, aliarumque plantarum prorsus nouas, natiuis coloribus depictas, atque idiomate tam Latino, quam Germanico describens eorundem partes, formam et habitum, nec non vsum in officinis pharmaceuticis, vita communi et medicina, apud GEORG. WOLFG. KNORRIVM.

Trecentas et vnam continet tabulas, eaedemque exhibent plantas, viuis coloribus, et vt plurimum nitide depictas, tercentum et triginta, quarum

quarum nonnullae quidem indigenae ſunt et vulgares, aliae vero, et multae, exoticae ac rariores; et inter has ſucculentae variae, praecipue Aloes, Meſembryanthema, Cacti, Cotyledones etc. magnam operi aeſtimationem conciliabunt: hortenſium etiam varietates, quae quandoque additae fuerunt, eius pretium potius augebunt, quam imminuent, cum fere omnes multiplici florum colore ſeſe commendent.

Quaelibet autem icon plantam in naturali magnitudine, eiusque non modo totum habitum, ſed et floris fructusque faciem optime repraeſentat: minores quoque, et ſeparatim appoſitae figurae floris fructusque partes, variis modis, naturali et aucta magnitudine, depictas exhibent, ita, vt omnibus, ad naturam accurate expreſſis, perfectisque iconibus non minorem gratiam reportauerit KNORRIVS, qui ab anno quinquageſimo ad ſexageſimum primum, quo e viuis ſeceſſit, tabulas omnes perfecit, delineauit, in aes incidit, elegantique penicillo pinxit, ac propriis ſumptibus edidit.

Praeterea etiam de explicatione tabularum, iisdemque addendis annotationibus ſollicitus fuit; quem laborem in ſe quidem ſuſcepit Tubingenſium Profeſſor PHIL. FRIDR. GMELINVS; aſt aliis laboribus impeditus, KNORRIVM ſequi, et tabulis explicationem ſtatim addere nec potuit, nec voluit. Tabulae enim nullo ſeruato ordine, partitis vicibus, editae, et littera quadam adſcripta notatae fuerunt, ita, vt, finito tandem opere, omnes ſecundum alphabeti ordinem collocari poſſint. Cum itaque ad vnam litteram pertinentes, ſiue vnam quaſi claſſem conſtituentes plantae, non ſimul et vna vice, ſed longiori ſaepius interpoſito tempore, in publicum prodirent, Commentator quoque non vna ſerie textum elaborare potuit. Hinc etiam

factum, vt maxima commentariorum pars, mo
tuo demum pictore, typis exarata fuerit, im
imperfectum manſiſſet opus, niſi beati viri hae
des et de hoc, et aliis, a KNORRIO incepto
nondum vero abſolutis, operibus ſeuere cogitaſſe
nouamque curam adhibuiſſent.

Rogarunt itaque Cl. GMELINVM, vt laborem continuaret, qui etiam magnam commentationum partem ſucceſſiue elaborauit; aſt, praematura morte defunctus, vix dimidiam partem abſoluere potuit. Licet vero Huius obitus nouam abſoluendo operi moram fecerit; omnem tamen curam adhibuerunt haeredes, vt per alium, rei herbariae peritum, textus continuaretur; inuenerunt quoque eundem in BOSIO, Wittebergenſium Profeſſore; antequam vero Ille manum operi admouere, ardenti febre an. 1770 obiit.

Huius autem vices, rogantibus haeredibus, in ſe ſuſcepit alter Wittebergenſis Profeſſor, Cl. BOEHMERVS, et, quae deficiebant, ſuppleuit, abſolutumque opus exhibuit. Licet vero textus a duobus Auctoribus conſcriptus fuerit; ſatis tamen ſibi ſimilis exiſtit. A conſtituto enim tramite non receſſit BOEHMERVS, deſcriptiones modo plantarum, et characteres praecipue genericos magis contrahere, integra auctorum loca rarius adducere, repetitiones omnes ſedulo euitare, et vtique breuitati ſtudere voluit; cum e contrario GMELINVS variorum auctorum definitiones addiderit, quaeque de plantis ſingulis auctoris, veteres praecipue, tradiderunt, eorundem verbis repetierit, et hinc nimis copioſam, Lectoribus ſaepe moleſtam, commentationem exhibuerit. Praeter textum alia quoque BOEHMERVS praeſtitit, quae maiorem operi perfectionem conciliare deberent.

Non-

Nonnullis enim tabulis, siue plantis falsa adscripta fuerant nomina, speciesque non semper accurate determinatae; eiusmodi errores sollicite correxit, et quaenam, in icone repraesentata, fuerit planta, aperte docuit. Indices quoque generales nominum, et variis linguis adductorum, composuit, et praefationem, mense ianuario 1771. signatam, historiam operis recensentem, praemisit.

Botanicis igitur, aliisque, qui consideratione plantarum delectantur, gratum fore hoc opus, certissime speramus, illudque omnibus commendamus, licet alphabeticus tabularum ordo, in vtraque parte repetitus, et prioris partis explicatio, plagularum custode et paginis non cohaerens, aliquam difficultatem parere videatur; quae tamen nulla erit, cum absoluto nunc opere et textus, et tabulae facile in ordinem redigi, et compingi possint.

## IV.

D. IOH. CHRISTLIEB KEMME *ordentlichen Professor zu Halle, und Mitglieds der Röm. Kayſ. Acad. der Naturf. Einleitung in die Medicin überhaupt. Halle im Magdeb. verlegts Carl Hermann Hemmerde* 1771. 8. 7 *Bog.*

i. e.

D. IO. CHRISTLIEB KEMME introductio in medicinam vniuersam.

Variis dissertationibus iam clarus KEMMIVS in succincta praefatione de fine, quem sibi praefixit, loquitur, in vsum scilicet academicum hunce conscripsit libellum, quo eo explicando studium medi-

cinae redderet facilius. Viam, quam alii ſunt ante ipſum ingreſſi, magis reliquit, quam perrexit. Praemiſſis tum definitione, diuiſione vsuque, diuidit tractationem ipſam in tres partes.

p. 6. Prima itaque pars de natura medicinae agens in quinque iterum diſtribuitur capita, quorum, cum ſingularia etiam a Cl. Auctore, praecipue in quantum fuerint praeſtita, dabimus nunc delineationem.

Primum caput tractat naturam, vſum, et neceſſitatem medicinae in genere. Natura vero determinatur ex obiecto docendique methodo: ſub eo ſanitatem et morbum a ſtatu ſano et morboſo diſtinguit; in hac ſcientiam medicinam eſſe oſtendit. Quo melius pateat vſus, praemittit definitionem noſtrae ſcientiae: ille vero conſiſtit in eo, vt ſanitatem praeſentem conſeruet, amiſſam reſtituat, deinde accuratiorem corporis humani exhibeat cognitionem, tum iudicium a iudice ferendum interdum determinet et tandem applicetur nonnunquam ad alia corpora animalia. Neceſſaria ideo inuenitur, quia naturae vires plerumque corruptae, vel iuſto debiliores, mortales in proſpiciendo ſuae ſanitati imperiti, reperiuntur: quod denique et ex hiſtoria, et catalogis demortuorum conferendis conſtat luculentiſſime.

p. 10. In ſecundo capite theoreticas partes phyſiologiam primum, cuius obiecta ſunt ſanitas perfectiſſima, limitata, vita corporis humani, ſigna ſanitatis, vitae et mortis; deinde pathologiam, huiusque partes recenſet. In notula priori ſubiecta bene diſcernit actiones et functiones, in poſteriore definit et diuidit cauſſas, ſymptomata et ſigna, addique denique rationem, cur ſemiologia, et pathologia chirurgica ſeorſim proponantur. Progreditur nunc ad practicas, primo ad diaeteticam, cuius ſubſidium

eſt

et materia alimentaria: deinde ad therapiam, et, distinctione inter remedia medica et medicamenta facta, ad partes ab ea, ob nimium ambitum, disiunctas, ad materiam medicam puto, pharmacologiam, materiam chirurgicam progreditur. Hic simul definit venena, et refert ea iure ad pathologiam et therapiam generalem. Diuisa therapia in generalem, vbi LVDWIGII therapiam laudat inprimis, et specialem, hanc dispescit in chirurgicam et in stricte sic dictam. Chirurgia constat ex materia, et pathologia chirurgica, et therapia, practica eius, ad partum spectans, pars, dicitur ars obstetricia. Medicina clinica est theoriae et praxeos medicae partium applicatio ad statum morbosum, ideoque non singularis pars est: huc etiam pertinet consultatoria. Tandem tertia praxeos pars medicina forensis sequitur.

Tertium caput de medicinae fontibus generalibus, experientia, ratione, vsu loquendi atque auctoritate agit: et deinde de specialibus tractat, nimirum de c. h. natura, animae corporisque nexu, et indole agendique modo aliorum extra nos positorum. Ex quibus egregias valdeque vtiles conclusiones in fine deriuat. p. 37.

Quartum caput de medicinae certitudine, quam nemo tam acute, quam Cl. Auctor elaborauit, agens, docet, medicum ciuium suorum salutem non in incerto ponere, modos concludendi, fontes incertitudinis et limites nostrae scientiae detegere. Itaque nunc se conuertit ad inuestigandam certitudinem sensuum internorum et externorum, fidei, ratiociniorum, tandemque fontium medicinae specialium. Ob occasionem, ipsi datam, fert suum de medicorum erroribus iudicium. Ex his praemissis colligit, medicinam iure nomen scientiae, eius vero partes practicas tam artis, quam scientiae nomen promereri, p. 46.

reri, inque ſyſtema poſſe redigi. Hoc quidem adhuc eſt imperfectum; attamen non deridenda ſunt omnia ideo facta tentamina: auctor enim ſyſtematis non prorſus ingenio deſtitutus, magis magisque ad perfectionem illud perducet. Denique diiudicat hyphotheſes in medicina.

p. 73. Quintum caput ſuccinctam hiſtoriam ortus horumque medicinae tradit.

p. 81. Secunda pars de medicina addiſcenda exponit, requirit Cl. Auctor primum notitiam Graecae, Latinae, Anglicae, Gallicae et Italicae linguae, deinde philoſophiam, matheſin, phyſicam. Haec vltima diuiditur ab eo in hiſtoriam et ſcientiam naturalem, illa continet zoologiam, quae ſupponit anatomiam: phytologiam, quae iterum in duas abit partes, in philoſophiam botanicam, quam Auct. theoreticam, et botanicam, quam practicam nominat, poſtea etiam continet mineralogiam. Nunc de harum ſcientiarum vſu, hiſtoriae medicinae diuiſione, auxiliatricum ſcientiarum abuſu, ordineque, quem tiro medicus in audiendis praelectionibus ſequi debet, loquitur: denique monita ſedecim valde vtilia illi tradit.

p. 95. Tertia pars de medicina facienda agens, praemiſſis huc pertinentibus definitionibus, diſtribuitur in quatuor capita.

p. 96. Primum conuenientiſſime incipit ab vſu experientiae et rationis in medicina, indeque docet, quomodo obſeruationes de corpore humano aut ſano, aut aegro, aut mortuo, porro de animalibus, medicamentis et venenis ſint inſtituendae et ratio vſurpanda.

Secundo

Secundo in capite de medici practici officiis, dis- p. 102.
ſerit, generalibus et ſpecialibus, quae vltima reipu-
blicae, aegris, ſuis collegis, pharmacopolis, chi-
rurgis, obſtetricibus ſibique ipſi debet praeſtare.
Addit hic quaedam de experientia practici vſuque
theoriae in praxi, et quaeſtionem illam mouet, an
theoriae peritus ſit felix practicus? poteſt quidem
talis euadere, ſed ideo nondum eſt; etenim qualitates
ad exercendam medicinam requiruntur, quas docet
ſolus vſus, vtpote magiſter optimus. Contra pra-
cticus, theoria non inſtructus, eſt medicaſter.

Ad tertium caput nunc deuenimus, quod de p. 108.
medico docente ſeu profeſſore ſimulque de lingua,
in qua docendum ſit, agit: probare annititur hic
Cl. Auctor, Latinam non Germanicae eſſe prae-
ferendam.

Vltimum denique caput quam breuiſſime tra- p. 111.
dit ſcriptorum medicorum diuiſionem, regularum
fontem et linguam, quibus in conſcribendis libris
ſit vtendum.

V. Mé-

V.

Mémoires et obſervations anatomiques, phyſiologiques et phyſiques ſur l'oeil, et ſur les maladies qui affectent cet organe; avec un précis des opérations et des remèdes qu'on doit prâtiquer pour les guerir. Par Mr. JEAN JANIN, Maitre en chirurgie, oculiſte de la ville de Lyon cet. à Lyon chez les freres *Periſſe* à Paris chez *P. F. Didot* le jeune 1772. 8. pagg. 474. praeter dedicationem et prooemium.

i. e.

Commentarii et obſervationes anatomico phyſiologico phyſicae ſuper oculo ejusque morbis; cum ſynopſi operationum remediorumque, iis medentium, Auctore JO. JANIN.

Si ſcripta medica, quae iudicio ac ratione consignantur, grata nobis ſunt, ea certe non minora videntur, quae, cum ad praxin ducant, rationem bonam, ab ipſa experientia, obſeruationibus ſuperſtructa, confirmatam, produnt. Communicamus hic eiusmodi commentarium, qui, nouarum veritatum dives, concinnitate ſua atque ſubtilitate bonisque et fidis obſeruationibus plurima harum rerum ſcripta longe poſt ſe relinquit. Tractationibus ipſe, quae omnes, etſi non iuſto ordine ſequantur, oculum ſpectant, compoſitus eſt. Praemittitur tractatio anatomico phyſiologica oculi, vbi breuiter Cl. Auctor, quae a Cel. ZINNIO *) fuſius expoſita ſunt, congeſſit; nec quidquam ibi inveni-

*) Deſcript. anatom. oculi humani cet. Gottingae 755. 4. It. Comm. noſtr. Vol. V. p. 342.

invenimus, quod notatu admodum dignum sit, nisi, quod capsulam lentis in *crystallo-anteriorem*, densiorem, et *posteriorem* teneriorem diuidat, quae in maxima sua diametro conniveant: quodque cum aliis, qui sedem visus in retina ponant, conveniat.

Sermonem deinde adiecit, de necessitate ob- p. 31.
seruationum, vbi, quae per seculum circa oculum detecta sint, exponit, opinionesque varias physi- corum de mechanismo visus addit. Duo, cum p. 38.
nondum de eo plane persuasus sit, instituit experimenta: Vitrum rubrum alteri, alteri caeruleum praefixit oculo, candelamque flammantem decem pedes a se remouit: illo clauso, caerulea, hoc vero clauso, rubra apparuit flamma; duobus apertis, violaceus erat color. Vitrum deinde caeruleum alteri oculorum praeposuit, et vtroque aperto, in caerulescentem flamma vergebat colorem; nudo clauso caerulea, clauso armato, naturalis flammae color videbatur. Cum itaque imagines non, pro vti immediato visus organo inprimuntur, appareant; sed diversae confluant, putat Noster, confluxum hunc variorum radiorum extra oculum fieri debere: retinam instar speculi concavi esse, quo radii refringantur, et vterque oculus ex axi sua paralleli focum formet, per quem imago obiecti, obiectum ipsum inter et organon formata, transeat. Iam tria commentaria, quae cum duodecim sectionibus et appendice formularum totum opus absoluunt, sequuntur.

Agitur in primo commentario de viis lacryma- p. 57.
libus, secretione lacrymarum earumque resorptione. Non omnes, quod plurimi anatomicorum defendunt, ex glandula lacrymali proueniunt lacrymae: maxima potius earum pars ex ductibus excre-

excretoriis, quos dicit, corneae exſudat; nec minorem earum copiam canales excretorii caruncul. coniunctiuae, glandularumque Meibomianarum profundunt. Hinc quoque in morbis viarum lacrymalium nihil hactenus dictum eſt de atonia vel dilatatione praeternaturali ductuum excretoriorum corneae coniunctiuaeque; nec ad glandulas Meibomianas obſtructas, cauſſam ſaepius viarum lacrymalium morboſarum, attenderunt auctores: verum denique hydrophthalmiae cauſſam, ex obſtructis canaliculis excretoriis corneae oriundae, plerimi neglexerunt. Singula iam haec perſequitur Cel. ZINN *), partem lacrymarum ex finibus ocularium coniunctiuae exſudare defendenti, aſſentitur quidem; ita tamen, vt affirmet, veras ibi, in ſtatu morboſo admodum conſpicuas, inueniri glandulas, vnde lacrymae quoque proueniant, idque
p. 61. tribus obſervationibus declarat. Palpebra enim inferiore depreſſa, axique bulbi verſus ſuperiora directa; nec non linteo carpto palpebram inter et globum immiſſo, omnibusque rite abſterſis, guttarum naſcentium, ſi experimentum iuſte inſtituitur, in omni coniunctiuae ambitu magna obſervatur copia. Pori quoque coniunctivae dilatati praeſentiam glandularum haud dubie teſtari Noſter putat.

p. 66. Secretionem fluidi aquei per poros corneae, a Cell. ST. YVES, PALFIN, WINSLOW certiam declaratam, maximam partem lacrymarum conficere, Noſter, in naturam eius, quantitatem, receptaculum eius fontesque, vnde redundet, inquirens probat. Deriuatur humor aqueus ex corpore vitreo, duplici lamina cellulari et capſulari compoſito: haec denſior multis poris perforatur, per quos humor exſudat et in cameras deponitur;

illa

*) l. c. cap. XIII. §. 1. p. 44.

illa multo rarior plurimis cellulis, ſibi invicem incumbentibus, quae lympham, a vaſis lymphaticis, ex choroidea et retina huc delatis, acceptam, verſus capſulae poros urgent, conſtat. Experimenta Cl. Auctoris, hac de re inſtituta, vlterius confirmant, quid de tunica corporis vitrei duplici, de cellulis ſibi communicantibus, de humore per poros exſudante, aqueum augente et lacrymas inde conficiente probatum velit.

Deriuatur porro ex lente cryſtallina, et quidem humore iſto viſcido limpido, qui capſulam inter et lentem ipſam colligitur: deponitur iſte continuo in cameram poſteriorem: vt inde ſponte ſequi putet, humorem hunc per omnem bulbi ambitum copioſius exſudare, eumque maximam partem lacrymarum conſtituere, id quod exemplis quibusdam magis illuſtrat. Glandula vero lacrymalis, cum omnibus, hactenus expoſitis, fontibus comparata, multo minorem lacrymarum effundit copiam. Ex caruncula porro lacrymali, quam ex plurimis minoribus glandulis, tunica incluſis, ductibusque ſuis excretoriis compoſitam vidit, humor ſebaceus, cerumini aurium haud abſimilis, et cum lacrymis confluens, exſtillat: hinc cum eo, ex glandulis Meibomianis exſudante, partem lacrymarum conſtituit, coniunctiuamque ab acredine defendit; minime vero, quod plurimi credunt, iſte humor aggerem facit, quo lacrymae, fines ſuos excedentes, in faciem defluere impediantur. Lacrymarum, per viginti quatuor horas duas vncias ſecretarum, aliae abſorptae in ſaccum lacrymalem defluunt, aliae euaporant. Cucurbitula enim vitrea, ne aer atmoſphaericus accederet, oculo applicata, roridum vaporem in parietibus eius internis obſeruauit, qui in guttas ſenſim confluens per horam dimidiam ad viginti vel viginti quinque guttas aſcenderet:

p. 80.

p. 93.

ſacco porro lacrymali aſſidue expreſſo, lactymarum inde per horam vnam et dimidiam triginta circiter vel triginta quinque collectarum habuit gram. quae cum euaporatis drachmam efficiunt, et hi in viginti quatuor horis ad ſedecim adſcendunt.

p. 97. Ad receptacula lacrymarum iam Cl. Auctor de-ueniens in puncta lacrymalia primum inquirit. Papillulam (*mammelon*) aſcendentem deſcenden-temque in vtroque obſeruauit, figuramque addit, qua, apertura palpebrarum maiori minorue, di-
p. 103. rectio punctorum varia conſpiciatur. Cum vero haec orificia iam dilatata, iam contracta vel clau videret, ſphincterem ibi quendam, quo, ſi irritan-tur, claudantur, defendit; quem exemplo illuſtra vbi, poſt exulcerationem tarſorum profluuium la-crymarum ſequebatur. Noſter oculum perluſtran puncta dilatata, nec vllo ſtimulo ſe contrahentia obſeruauit, vt inde ſuſpicaretur, ſphincterem hac exulceratione deſtructum fuiſſe. Cum in canali lacrymali quoque motum vermicularem, quem a ſaccum vsque continuatum ſuſpicatur, perſpicere probabile Ipſi videtur, muſculares in ſacco lacry-mali adeſſe fibras, quae in medio eius ſphincteren, ſaccum iuſto tempore contrahentem dilatantemque forment. Sic in canali quoque naſali ſphincterem, a Cel. LE CAT ſub nomine *ligamenti tendinei* iam deſcriptum, aſſumit; nec ab ipſo hac in re diſſentit, niſi, quod fibras ibi muſculares defendat. Et variis enim rebus patet, lacrymas in ſacco per tem-pus, prouti vrina in veſica, retineri; quod vero ſine ſphincterе in canali naſali fieri non poſſet. Cum itaque ſaccus lacrymalis plenus ſit, veſicae vrinariae ad inſtar ſe contrahit, ſphincterem ca-nalis naſalis ſoluit, lacrymasque ita verſus nares pro-pellit: ſub qualibet quoque emunctione narium

ac

aer atmosphaericus sine sphincktere in saccum lacrymalem intrat. Phaenomena reliqua, in obstructione canalis nasalis, quam saepius falso accusent, oboriunda, inquirens ex sphincktere hoc, male affecto, explicat: sic enim morbus, obstructione stilo, vel filo traiecto sublata, saepius redit. In hoc itaque statu sphincter iste iusto strictior relaxari debet.

Viis lacrymalibus, in cadauere disquisitis, canalis p. 114.
nasalis mediam partem constrictam detexit, et in hac aeque, ac ad puncta lacrymalia circulares; in reliqua vero via longitudinales vidit fibras: Sacci lacrymalis superior pars multis paruulis gangliis, quae post macerationem glandulas detexit, obsita erat, ex quibus humor flauescens exprimebatur, quem acriorem factum, sphincterem ad maiorem contractionem stimulare putat; malamque interdum harum glandularum dispositionem solam fistulae lacrymalis causam esse, probabile videtur. Vel, quod saepius fieri putat, humor iste acrior parietes internos arrodit, exsudat et defluit, quem ex colore flauescente, puri non absimili, falso ex vlcere interno deriuant, et ad fistulam lacrymalem transferunt.

Mechanismum lacrymarum resorptarum ex le- p. 130.
gibus hydraulicis declarat, ita, vt vias lacrymales cum antlia (*pompe aspirante et foulante*) comparet, et resorptionem ita explicet. Sub qualibet enim palpebrarum actione ductus lacrymales ex fibris suis longitudinalibus prolongantur, puncta lacrymalia cum papillulis emergunt, dilatantur, et diriguntur versus canthum internum, ibique in lacrymas collectas immerguntur: retractis palpebris, quaelibet papillula cito retrahitur, clauditur, lacrymasque ad instar pistilli in siphone porro vrget: conspirat cum ista actione motus vermicularis, vt ita lacrymae in saccum lacrymalem ducantur: iam hic

plenus, ſe contrahens, lacrymas in canalem nasalem premit, ſphincterem ſoluit, vt lacrymae exinde verſus nares defluant. Lacrymarum huc ductarum partem per choanas narium in ventriculum deſcendere, digeſtioni inſeruire, quid? quod per ipſas venas lacteas abſorberi, humorumque circulo tradi putat.

p. 137. Capſulam lentis cryſtallinae in altero commentario ita Cl. Auctor examinat, vt primo demonſtret, lentem ſola et vna tunica circumdari, capſulam porro membranis hyaloideae et retinae contiguam tantum eſſe, eamque ex duobus hemisphaeriis, in maxima ſua diametro ſibi contingentibus *) componi: quibus denique obſeruationes et monita practica adiungit. Saepius iam obſeruatum eſt, opacitatem lentis nunquam ad tunicam hyaloideam vsque continuari: et ita ex eo iam patet, tunicas has ſibi non continuas eſſe. Si porro capſula cum obtuſo inſtrumento ab humore vitreo proceſſibusque ciliaribus ſeparatur, glabra eius ſuperficies in conſpectum venit, nec vllam disruptionem prodit,
p. 143. vnde ſuſpicio continuitatis naſci poſſit. Patet hoc quoque ex hyaloideae minori craſſitie et firmitate, qua intra digitos multo facilius, quam capſula, poſſit conteri. Si denique bulbus per aliquot dies in ſpiritu vini maceratur, capſula plane obſcurata, hyaloidea vero pellucida apparebunt.

p. 148. Vidit Cl. Auctor cataractam in pluribus operationibus ſubito propulſam: ex quo coniicit, capſulam, ab omni adhaeſione cum partibus vicinis liberam, compreſſioni humoris vitrei, oſcillationique proceſſuum ciliarium, deficiente iam humore aqueo, ceſſiſſe, viamque per corneam apertam ſecutam eſſe. Vidit porro, qui ex cataracta connata, vel

*) vide ſupra p. 239.

vel poſtea ea adfecti coeci eſſent, qui poſt percuſſionem aliquam totius corporis, viſum ſtatim recuperarent; quod vero ex ſoluta capſula a partibus adhaerentibus, quae ſimul cum lente in cameram poſteriorem hac vi prolapſa ſit, tantummodo declarari poſſe putat. Cum etiam haud raro fieri ſoleat, vt capſula ſimul cum lente obſcuretur, quod et Ipſe ſaepius obſeruauit, ſuadet, vt in operatione capſula non diſciſſa ſimul cum lente extrahatur. Vidit enim, lente extracta, capſulam anteriorem opacam relictam eſſe, quae viſum turbaret; hac vero quoque extracta, viſum reſtitutum eſſe. p. 166.

Capſulam ante et poſt operationem cataractae obſcurari putat, idque vel ex humoris MORGAGNII deprauatione, ſeu obſtructione vaſorum capſulae, vel ex percuſſione bulbi, aut ex inciſione, in operatione cataractae iuſto minore, vt inde lens tranſiens anguſtiam nimis extendat, irritet vel laedat, fieri poſſe aſſerit. Suadet ergo, vt cyſtotomus Cel. LA FAYE paullo amplior ſit, quo eo maior in capſula fiat inciſio: cum quoque ſaepius cuspis cyſtotomi in vagina ſua obtuſior reddatur, bene attendendum eſt, ne, cum capſula anterior admodum interdum firma ſit et coriacea, cuspis dehiscat, neque inciſio, quam tamen ſupponimus, facta ſit. p. 174.

Agit Noſter in tertio commentario de pupilla clauſa. Vitium eiusmodi connatum, quod Cel. CHESELDEN *), communicauit, Cl. Auctor nunquam, ſed ſemper per morbum inductum obſeruauit. Accidit enim ſaepius, vt, poſt operationem cataractae, vel etiam per grauiorem inflammationem pupilla claudatur, et cum obſcuratione et accretione capſulae lentis ad iridem coniuncta ſit. p. 177.



*) Mem. de l'academ. de chir. Tom. III. H. p. 115. vid. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 199.

Emendationem eius in variis aegris ex methodo Cheſeldiana tentauit; ſed pupillam artefactam paucis diebus poſt denuo concretam vidit: cuius quidem cauſſam paulo poſt in fibrarum radiatarum longitudinali diſciſſione detexit. Cum enim caſu radiatas has fibras verticaliter diſcinderet, vulnus poſtea non clauſum, ſed motum ibi, pupillae contrarium, obſeruauit. Qua de cauſa deinde, in pupilla artificiali reddenda, fibras has verticaliter diſcindens meliorem habuit effectum, ita, vt, quamuis fibrae circulares pupillae immobiles eſſent, vulnus ſtatim dilataretur, cum fibrae radiatae nunc
p. 194. contraherentur; hae vero in atrophia oculi non ſtrictae ſunt, verticali tamen diſciſſione haud contrahuntur, et vulnus concreſcit: in tali caſu operatio nulla. Cum et hactenus Noſter incifionem verſus angulum maiorem feciſſet; iam in aegra eam verſus internum inſtituit, bono quidem euentu, ſtrabismo tamen relicto, quem ex axi vtriusque bulbi antea conſpirante, iam vero diuergente, ex-
p. 202. plicat. Pupilla artificiali iuſto maiore facta, aegra in lumine clariore nihil vidit; quod tamen vitium charta papyracea nigra, foramine in medio inſtructa, oculo in lumine clariore applicata, emendauit. Accidit interdum, vt ſuppuratio tamen viſum turbet; quod vero iuſta prophylaxi et methodo me-
p. 204. dendi cauetur. Methodum Cheſeldianam, etſi Noſter hoc vitium a mala conformatione interdum oriri concedat, non probat; cum ſemper fere obſcuratio lentis capſulaeque eius cum hoc vitio coniuncta eſſe ſoleat; ad quas tamen acus Cheſeldiana non pertingat: vt ergo, pupilla quamuis artificiali reddita, denuo inciſio ad extrahendam cataractam ſit inſtituenda.

Sequuntur

Sequuntur iam obſeruationes variae, quae tamen omnes oculum morboſum ſpectant. Contiſectio prima octodecim obſeruationes ſuper cataracta ſimplici et complicata, et plerumque feliciter curata. In connata cataracta lentem oſſeam extractam vidit: myops alia poſt ſeptuageſimum annum cataracta in vtroque oculo afficiebatur; coecitas et myopia poſt operationem ceſſarunt: altera cataracta paucis annis poſt feliciter quoque extracta, obiecta duplicia ſibi repraeſentabantur; ſed et hoc vitium iuſto regimine emendatum eſt. Opacitatem Noſter ſaepius in oculo poſt operationem relictam vidit, quam *cataractam ſecundariam* vocat, et ex obſcuritate capſulae, vel ex muco lentis, in capſula poſt operationem relicto, deriuat. Definitur illa ex colore lacteo, haec flaueſcente, cum ſuperficie ſaepius inaequali. Si mucus iſte difficile vel plane non diſſolui poteſt, operatio ſtatim inſtituatur, ne ad parietes capſulae deductus ophthalmiam haud leuem, vel eius ad iridem adhaeſionem producat; priorem vero ſpeciem diſcutientibus tollere ſuadet, quippe quae bono ſuo effectu hic admodum ſe commendant; his vero non ſuccedentibus, cornea denuo aperta, capſula eximenda eſt. Vtramque ſpeciem exemplis, vbi eas obſeruatas curauit, illuſtrat. Cataractae quinque ſpecies Cl. Auctor defendit: Primo enim ſola lens obſcurata ſaepiſſime occurrit; color et conſiſtentia eius variant: in iunioribus lacteus et mollis; flauus in adultioribus, niger, dura vel etiam oſſea, quam plerumque percuſſio bulbi exictu producere ſolet. Deinde opacitas lentis cum obſcuratione humoris MORGAGNII et capſulae cryſtallinae coniuncta eſt, lente ſolida, liquida interdum, quam quidem obſeruatio ſecunda teſtatur: Tum ſola pars anterior capſulae obſcurata eſt, interdum cum opacitate lentis coniuncta: porro

p. 207.

p. 228.

p. 250.

p. 268.

tunica hyaloidea opaca quartam ſpeciem, auctore et obſeruatore ST. YVES *) offert: Tandem humor MORGAGNII obſcuratus quintam ſpeciem tradit.

p. 270. In qualibet vero operatione, quamuis vare debeat inſtitui, id bene attendatur, vt duae tertiae corneae diſcindantur, capſulaque iuſto modo aperiatur, ne preſſione bulbi magna ad vrgendam lentem opus ſit; ſi vero poſt operationem obſcura quaedam macula poſt pupillam obſeruetur, eam ex muco lentis, vel vitiata capſula lentis naſci dictum eſt: vbi in primo caſu leni preſſione vel inſtrumento corpus peregrinum eximatur; in poſteriore capſulae plerumque anterior pars obſcurata forcipe, vel, quod difficilius videtur, forfice abſciſſa educatur. Ex malo euentu, quem aegri, cum oculum iuſto citius radiis ſolis, iisque viuidioribus exponerent, habuerunt, putat Noſter, oculum ante decimum poſt operationem diem non aperiendum eſſe. Concedit Cl. Auctor, maculas corneae, quas LEMERY **) *cataractam externam* vocat, interno vſu cort. Peruu. diſcuti poſſe; veram vero et confirmatam cataractam vllis medicamentis, vel ipſo cort. Peruu. quo Cl. HEBERDEN ***) eam curaſſe affirmat, tolli negat. Vaſa enim lentis ſunt minima, eorumque tunicae tenerrimae: oſcillatio eorum vix conſpicua, iisque ſemel obſtructis, motus ſyſtalticus nullus; impetus potius humorum verſus obſtructionem rupturas vaſorum, effuſionemque fluidi obſtructi producat neceſſe eſt. Ex quibus patet, ſtagnationem lymphae

p. 274.

p. 278.

*) vid. EIVSD. Traité des maladies des yeux.

**) vid. Pharmacopée univerſelle. Vol. I. edit. quint. p. 113.

***) vid. Journal de médécine du mois Aout. 1769. p. 102. v. Comm. noſtr. paulo infra.

phae obſtructae lentis in vaſis Zinnianis, quae non negat, nullo medicamento interno reſolui poſſe.

Agit in ſectione altera de fiſtula lacrymali ſimplici et complicata, et Cel. PETIT in eius cauſarum ſcrutinio, paucis mutatis, ſequitur. Vel enim glandulae Meibomianae morboſae humorem ſecernunt, ſphincterem canalis naſalis ad contractionem maiorem irritantem; quod et de humore, ex glandulis ſacci lacrymalis excreto, valet. Interdum vlcus ſacci lacrymalis eundem effectum producit; vel maior laxitas ſacci hydropem eius generat: vel denique tumor in partibus adiacentibus, ex obſtructione humorum, vel exoſtoſi oſſis vnguis, aut apophyſeos coronalis oriundus, vias lacrymales coangustare vel plane claudere poterit. Definit p. 289. Notter primam ſpeciem ex minori copia materiae, paucis lacrymis commixtae, expreſſae, ex ſacco lacrymali non ita valde tumido, ex marginibus palpebrarum craſſis, duris inuerſisque, nec non ex vaſis coniunctiuae, potiſſimum palpebrae inferioris varicoſis, et lippitudine chronica. Si vero glandulae ſacci lacrymalis vitiatae in cauſſa ſunt; ſaccus lacrymalis magis tumidus conſpicitur, materia exinde expreſſa craſſior, varii coloris et cum lacrymis commixta eſt, marginibus palpebrarum coniunctiuaque ſanis. Tumor partium vicinarum, vt cauſſa fiſtulae lacrymalis, inde cognoſcitur, ſi ſaccus lacrymalis expreſſus tumiditatem quandam retinet, materiaque expreſſa per puncta lacrymalia aeque, ac per nares egreditur: exoſtoſis ita differt, vt tumor magis durus et inaequalis appareat: hydrops ſacci lacrymalis ex materia non purulenta, ſed limpida egrediente indicatur. Exulceratio p. 294. ſacci lacrymalis non, niſi poſt vulnera, contuſiones,

interdum ex miasmate venereo, cancroſo cet. oriri tur. Verum denique pus flaueſcentis, viridis coloris malique odoris eſt; cum materia purulenta e glandulis ſacci lacrymalis albida appareat. In diagnoſi hac ſtabilita, quatuordecim obſeruationibus eas illuſtrat, quae ex humore glandularum ſacci lacrymalis peruerſo, vel ex conſtrictione ſphincteris canalis naſalis, vel denique ex relaxatione ſacci lacrymalis cet. oriundae ſunt. Puella cachymica lippitudine chronica ex polypo, in ſacco lacrymali nato, per canalem naſalem transeunte et ex nare dextro propendente oriunda, laborans Sacco lacrymali diſciſſo, polypoque eradicato et per nares depreſſo, ſetaceum Noſter, ne caro fungoſa excreſceret, per amplum admodum canalem trahens vulneri linteum carptum, aqua mercuriali madidum immittebat: paullo poſt polypo recrudescente, lapide infernali eodem euentu vſus eſt: meliore poſtea oleo camphorae, ita, vt polypus non amplius appareret, canali quidem iuſta magnitudine reſtituta, oculo tamen illacrymante relicto.

p. 299.

p. 331. Pertractat Noſter in ſectione tertia chemoſin, quam ab ophthalmia ſic diſtinguit, vt in illa coniunctiua admodum tumida margines palpebrarum retrahat, palpebrasque a ſe inuicem diducat, vt cornea quaſi occulta videatur; in hac vero ſola inflammatio coniunctiuae, interdum obſtructio vel tumor palpebrarum cum copioſa ſecretione lacrymarum appareant. Luxuriantem partem coniunctiuae Noſter abſcidit, cum chemoſis ex metaſtaſi anginae orta eſſet; vbi ex ſuppreſſione menſtruorum ophthalmia nata erat, iisdem ex applicatione hirudinum ad labia pudendorum reſtitutis, aegra ſanata eſt.

Sectio

Sectio quarta obſeruationes de vlceribus cor- p. 345.
neae continet. Benigna ea, pellucida; maligna vero
flaua, opaca et dolorifica ſunt. Cognoſcitur vlcus,
i bulbus, verſus horizontem fixus, et a latere in-
ſpectus, ſuperficiem corneae inaequalem, excaua-
tionibus plus minusue profundis conſpicuam,
oſtendit. Ex vlcere profundo alba cicatrix, ex ſu-
perficiali griſea relinquitur: cicatrices hae curatio-
nem non admittunt, et ita a pterygio ſ. panno diffe-
runt, quippe quae iuſtis remediis cedunt. In vlcere
benigno topica applicat; in maligno internis quo-
que opus eſt. Sic cort. Peruu. cum ex deprauata
maſſa humorum vniuerſa vlcus, quod oculum ſini-
ſtrum occuparet, corneam obturaret, palpebras,
nares totamque faciem tumida redderet, ortum eſ-
ſet, optimo cum effectu vſus eſt.

Agit Cl. Auctor in ſectione quinta de relaxatio- p. 357.
ne et atonia palpebrae ſuperioris cum bulbi cor-
ruptione complicata. Rariſſime hunc morbum,
contra plurimos auctores, ex paralyſi oriri defen-
dit: ſaepius eum ex relaxatione et praeternaturali
prolongatione cutis palpebrae, vel ex conuulſiua
contractione eius ortum vidit. In hoc caſu palpebra
rigida et immobilis; in illo mollis eſt et cedit. Com-
prehendit Noſter, ſi ex ſola relaxatione oritur, cu-
tem ſuperfluam cum forcipe, ſectioneque transuer-
ſali abſcindit; monet vero, plus cutis verſus an-
gulum minorem, quam maiorem abſcindendum
eſſe, ne palpebra inaequaliter ſe claudat, muſcu-
lisque parcendum eſſe. Si vero ſpasmus in cauſſa
eſt, pediluuiis et collyriis vtitur.

Pertractatur in ſectione ſexta phtoſis cum lae- P. 367.
ſione bulbi complicata. Eſt ea reflexio tarſorum
introrſum, vt inde cilia male dirigantur: ex qua-
rum

rum deinde frictione dolores, inflammatio conti-
ctiuae, pterygia corneae, vlcera, quid? quod ip-
coecitas oriuntur. Differt ab ea diſtichiaſis, ra-
ſimus morbus, in qua cilia duplicia, ertus al-
alia intus conſpiciuntur: quam Noſter non ob-
uatam hic omittit. In phtoſeos vero cura id at-
dit, vt marginum palpebrarum iuſtam reſtitu-
directionem: eum in finem cutem palpebrar-
ſuperfluam forfice reſecat, vulnusque emplaſtr-
glutinantibus, vel ſutura cruenta claudit. Acci-
Ipſi, vt, cum cutim iam comprehendiſſet, aeg-
meticuloſa caput ſubito retraheret, vnde palpeb-
valde agitaretur extenderetur que, vt etiam oper-
tionem differre cogeretur: quatuor diebus po-
iuſtam et naturalem conditionem palpebrae reſtitu-
tam laetus vidit: id quod poſtea ex conſilio, bon-
cum euentu inſtituit, cuius quidem cauſſam re-
dere nequit.

p. 375. Agitur in ſectione ſeptima de ectropio. Palpe-
brae ex tumore earum extrorſum reflectuntur, cu-
ius cauſſam Noſter ex deprauatione lymphae, e-
diſpoſitione ſcrophuloſa, vel ex metaſtaſi ſeu ob-
ſtructione glandularum Meibomianarum vel lacri-
lacrymalis deriuat. Tumorem Cl. Auctor abſcindit
vel diſcutit, id quod priori praeferendum eſſe iudi-
cat: vtramque methodum exemplis illuſtrat.

p. 389. Iam ad ſtaphyloma Noſter in ſectione octaua
accedit. Oritur hic tumor, ſi poſt vulnus, corneae
inflictum, vel vlcus corneae, iris vel tunica humo-
ris aquei prolabuntur; ſed ex vlcere in ſuperficie
interna corneae et ſcleroticae ſtaphylomatis ſpecies
oriuntur, eleuatione praeternaturali partis corneae
vel ſcleroticae conſpiciendae. In hac cornea trans-
parens manet; in illa coecitas plerumque adeſt.

Exſtir-

Extirpationem aeque, ac compreſſionem tumoris improbat. Cum malum inciſioni rariſſime cedat, butyro antimonii Noſter optimo cum ſucceſſu vſus eſt: parua enim eius portione tumorem ſemel quotidie vel alternis diebus tangens poſt quamlibet applicationem oculum cum lacte tepido eluit, et ſaepiſſime poſt tertiam applicationem ſtaphyloma euaneſcit. Stimulando hic hoc medicamentum, non rodendo agit, nec eſcharam relinquit: parum enim applicatur, lacrymaeque affluentes acrimoniam inuoluunt, cauſticamque vim infringunt. p. 394.

Sectio nona nouam methodum hypopyum curandi offert. Cum diſcuſſio in hoc morbo inciſioni et euacuationi materiae ſemper ſit praeferenda, remedia, ab aliis hunc in finem commendata, Noſtro non ſatisfaciunt. Certum et tutum ſemper decoctum florum maluae expertus eſt: hoc enim decocto ſaepius de die oculum lauans per interualla faſcia comprimente, hoc decocto madida, eum obtegit, vbi poſt decimum tertium vel quartum diem materiam ſemper diſcuſſam vidit. p. 405.

Offert nobis ſectio decima iridis, choroideae contiguae, ſeceſſum. Docuerunt hactenus fere omnes anatomici, iridem choroideae continuationem; cuius vero contrarium Cl. HOIN*) detegens probauit. Is enim in pluribus cadauerum oculis iridem leuiſſima quidem tractione plane a choroidea ſeparatam vidit: id quod et obſeruationibus in viuis confirmatum habuit. Cui Noſter aſſentitur, duobusque exemplis contiguitatem iridis cum choroidea illuſtrat. Virgini ex vlcere corneae iris prolapſa ſtaphyloma produxit, nec a cicatrice poſtea, ſtaphylomate euaneſcente, ſeparari potuit: p. 415. p. 420.

*) vid. mémoires de l'academie des ſciences de Dijou an. 1768.

potuit: coecitate relicta, doloribus semper sem magnis perceptis, subito iam, cum in variis partibus iridis superioribus secessus fieret, cessantibus quinque hae pupillae artificiales visum aegrae quodammodo restituebant: dilatabantur hae contrahebanturque non per radios solis, sed sola directione axis bulbi: ea enim versus inferiora fixa, diameter earum minima erat, versus horizontem maior, et versus superiora maxima.

Pertractatur in sectione vndecima motus iridis in
p. 425. confirmata coecitate superstes: in ea enim pupillae ex varia radiorum lucis applicatione contractas dilatatasque se obseruasse duobus exemplis monstrat: cuius caussam in iridis cum choroidea contiguitate inesse autumat. Nam iris, nerueo muscularis tunica, neruos ex ganglio lenticulari accipiens, in paralysi nerui optici non afficitur; quod vero in gutta serena fit.

p. 429. Obseruauit tandem Cl. Auctor, qui ex habitu externo bulbi myops videretur, quem tamen vitro conuexo (*mi - cataracte*) vti oporteret, qui ideo ei, cui cataracta extracta est, haud abfimilis fuit. Caussam huius phaenomeni in lente densiore et plana quaerit.

p. 435. In appendice formularum, in morbis oculorum adhibendarum, compositionem, vsum et methodum adhibendi exponit. Emendatum e. g. extractum saturni apponimus. Rp. Lithargyr. libr. vnam; acet. vini opt. libr. duas. M. coqu. ad pultis consistent. Instill. sensim aquae feruid. libr. sedecim; perpetuo agitentur. Stent per viginti quatuor horas in loco frigido; decantentur. Quatuor huius medicamenti guttas in spiritus vini camphorati guttas tres, et aquae fontan. vnciam vnam instillat, oculumque lauat. GOVLARDI extractum hoc multo minus esse contendit.

VI. Noui

VI.

Noui commentarii ſocietatis Regiae ſcientiarum Gottingenſis. Tom. I. ad a. MDCCLXIX et MDCCLXX. Gottingae et Gothae, apud Ioan. Chriſt. Dieterich. 1771. 4. tabb. aen. 12. pagg. 402. Tomus II. ad a. MDCCLXXI. ibid. 1772, pagg. 385. tabb. aen. 10.

Cum variis impedimentis inſtitutum commentariorum ſocietatis illuſtris edendorum interruptum eſſet: ſocietas conſtituit nouorum commentariorum inſcriptione tractatus Cll. Sodalium publici iuris facere, quorum primos tomos hic Lectoribus indicamus. In praefatione Cl. HEYNE, qui ſocietati eſt a ſecretis, fata ſocietatis enarrat, mutationesque ſodalium eorumque numerum integrum; in qua etiam legimus commentationes, nondum a ſodalibus ſocietatis ſigillatim editas, proprio volumine editum iri, eodemque modo commentaria, patrio ſermone conſcripta, vulgari. Quilibet tomus in partes duas diuiſus, in prima continet, commentationes phyſicas ac mathematicas, in altera hiſtoricas et philologicas. Nos, miſſis iis, quae a noſtra inſtituti ratione alienae videntur, indicabimus earum ſummam, quae ad phyſicam claſſem propius ſpectant.

Harum in numero eſt in primo tomo

I. ALBERTI DE HALLER *commentatio de plantis pabularibus nuperorum* *). Duas claſſes plantarum ad pabulares refert Ill. Auctor, papilionaceam Tom. I. p. 1.

*) praelecta d. 9. decembr. 1769.

ceam et gramineam, earumque hiſtoriam hic reddit cum botanicam, tum oeconomicam, vt oeconomis certo conſtet, quas plantas colant, vel colere iubeantur. Quare etiam in plerisque addit nomina patrii ſermonis. Ex gramineis primo recenſet *Phleum pratenſe* LINN. monetque, diligenter illud in re oeconomica eſſe diſcernendum a *nodoſo* et *alpino* LINN. multoque accuratius pro agricolis plantas diſcerni oportere, quam pro botanicis, cum etiam varietates agricolis vel plures, vel minores reddant reditus. Alterum gramen eſt de *Poae* genere, (*Birdgraß*) nouiter ex America allatum, proximum *Poae anguſtifoliae* LINN. Princeps ei laus eſt, radiculis fere ex ſingulo nodo luxuriare, quae in proprios culmos conualeſcant: hinc magnum foeni pondus, quo omnia alia gramina ſuperet, reddere. Tertium gramen eſt *Lolium perenne* LINN. (*Raygraß*, *Graslauch*), cuius plures ſunt varietates, diligenter attendendae; neque tamen huic gramini multus eſt vſus. *Auenam elatiorem* LINN. ideo laudant, quod decem integris annis ſuperuiuat: in Heluetia tamen non colitur, videturque illi Auctori durum, gracile et praecox gramen. Alia gramina ad pabulares plantas non refert.

p. 11. Primam et antiquiſſimam alterius claſſis dicit Ill. Auctor, *Medicaginem ſatiuam* huicque addit *lupulinam* et *falcatam* LINN. quarum priorem, cum ter quaterue deſecari poſſit, pabulum ſat copioſum, inflans tamen et pene nimis luxurioſum dare putat: praeterea etiam terram radicibus complicatis impedire, quo minus aratro ſubigi queat, neque ſiccari poſſe; poſteriores vix ſumtus culturae reddere. Ex trifoliis huc refert *Trifolium pratenſe*, *hybridum*, *fragiferum*, *agrarium*, et *ſtellatum* LINN. Pratenſe optimum pabulum frequentiſſimumque

mumque esse constat; vaccis tamen praestare et equis, idque vitii habere, quod vtraque inflet, si sibi indulserint: adipem etiam potiùs augere, quam lac. Hybridi vitium est, quod annuum sit. Fragiferum et agrarium in Anglia potissimum colitur, diciturque prius in Hibernia ad septem pedes se extendere. De stellato id monet Ill. Auctor, quod fertilitatem terrae non minuat, praecipue ab equis ametur, qui vires inde acquirant; videtur tamen Ei vix sumtus redditurum.

Affert Ill. Auctor ex plantis papilionaceis, quae foliis sunt pinnatis, *Hedysarum Onobrychidem* LINN., quod *Esparsette* dicunt: illudque ceteris, pabulo destinatis, plantis omnibus praestare existimat. Omne enim solum tolerat, diu durat, vt ad quadragesimum annum supersit. Siccatio curam exigit: cauendum enim, ne folia delabantur, ac ne absque sale aut intermisto stramine in horrea condantur. Cultus eius facilis est. Huc addit *Hedysarum alpinum* et aliud, quod *coronarium* LINN. esse videtur. De viciis nihil profert. *Coronillam* vero *variam* LINN. diffundentibus magnisque ramis, si colatur, praeditam, oeconomiae vtilem fore coniicit: tentanti tamen non successit, cum semina male maturentur. *Robiniam pseudo-acaciam* LINN. aliasque arbores in foliis nutrimentum praebere addit. Suadetque, si ex papilionaceis aliqua planta coli debeat, vt *Orobus luteus* LINN. coletur, cuius, cum nulla icon prostet, addit descriptionem. Praeter has duas herbarum pabularium classes, in eundem finem coluntur *Spergula arvensis*, et *Poterium Sanguisorba* LINN. Potissimum virides plantae pabulo seruiunt; ex posteriore tamen et foenum fit, equis non ingratum. Huc etiam referri posse existimat Ill. Auctor *Isatidem sativam*, *Rubiam tinctoriam*, atque *Alchemillam*. p. 19. p. 29.

p. 30. 2. EIVSDEM *commentatio de vento Rupenſi* *)

Cum Ill. Auctor *Rupe* ſex integris annis vixerit, ventum, qui illic ſolennis erat, ſollicite, exſtructo in libero loco proprio theatro, obſeruauit, atque hic, praemiſſa loci deſcriptione, tabulas, quae venti tempeſtatumque varietatem indicant, proponit. In aula Rupenſi ventus hic frequenter regnat, incipitque a hora nona matutina, vt ſenſim eius vires intendantur: deinde a quarta pomeridiana ſenſim iterum exſpirat, vt noctes absque vento calidiſſimae ſequantur. Ex tabulis, per octo menſes continuo annotatis, apparet, ventum plerumque ex boreali plaga flare, et ſerenum coelum cum eo conſpirare; dari etiam, vbi turbidum ſit, aut pluat.

p. 41. Cauſſam phaenomeni deriuat Ill. Auctor inde, quod anguſta vallis pateat inter boream et occidentem, montesque ad orientem et auſtrum poſiti reliquos auertant ventos. Ratio, cur certis diei horis ſpiret, in ſole poſita eſt, qui aerem rarefacit, et ita frigidior borealis in rariorem ſe diffundit. Idem ſtatus ventus dominatur in valle Vrienſi; in Valeſia vero Eurus vel Fauonius ſpirant, vel plena eſt ventorum quies. Hinc coguntur incolae per aeſtatem in montanis degere locis. Frequens ibi, Octoduri etiam frequentior eſt fatuitas. Plurimique homines ibi miſere viuunt, ſtrumisque et inertia totius corporis infeſtantur, vt etiam a collectarum foecum in inteſtino recto mole moriantur. Dubitat, an ſolis aeſtus ſit vna cauſſa, quem conferre quidem concedit; neque aquis eam tribuit, cum ſint puriſſimae.

Ex

*) prael. d. 8 dec. 1770.

Ex Tomo ſecundo ad nos pertinet. T. II.

I. ALBERTI DE HALLER *ad figuram nervorum cordis lateris ſiniſtri Cl. Iuuenis* ANDERSCHII, *diſcipuli ſui diuinatio* *). Prouulgat hic Ill. Auctor iconem neruorum cordis, quos Cl. ANDERSCH perſequendos olim commiſit. Qui multo labore eos disquiſit, et tabulam a *Kaltenhofero* pingi curauit. Poſtea vero, ſcripta iam diſputatione, infelici morbo Cl. ANDERSCH mentis liberum vſum amiſit. Ill. HALLERVS igitur hanc egregiam tabulam noluit perdi, ſed, cum diſputatio ipſa interiiſſet, quae delineata ad corpus humanum ſunt, et litterarum ſenſum deſcriptionibus expreſſit, et multa emendauit, litteras resque ipſas cum tabula comparans. Ipſae vero horum neruorum ramificationes a nobis hic non nominari poſſunt, ſed Lectores ad ipſam ſunt amandandi iconem. p. 1.

2. *De hodierno more examinandi aquas minerales, nondum ab omnibus erroribus ac commentis repurgato, commentatio*, Auctore RVD. AVG. VOGEL **). Primo neceſſarium eſſe affirmat, vt fontium medicatorum disquiſitio in ipſo ſcaturiginis loco inſtituatur, vt aquam accipias omnibus ſuis particulis conſtitutiuis praeditam, poſſisque de grauitate ſpecifica recte iudicare; ad quam determinandam etiam requiratur, vt cum eadem ſemper aqua fontana, cruda, fons medicatus comparetur. Tum oſtendit, non ineſſe eas particulas aquis medicatis, quas hactenus aſſumſerunt doctiſſimi viri. Negat enim ineſſe iis vitriolum martis, cum poſt euaporationem eiusdem nihil reperiatur; ſed colorem nigrum deriuandum dicit, ex martialibus p. 21.



*) miſſa ad ſociet. d. 14 aug. 1771.
**) praelecta d. 5 ian. 1771.

et vitriolico ſpiritu, ſeparatim in aquis his contentis, ſaleque vel amaro, Glauberiano ſimili, vel communi, vel vtroque. Id quod experimentis, quae inſtituit Cl. Auctor, comprobatum habet.

p. 21. Poſtea non concedit Cl. Auctor, ineſſe aquis mineralibus ſal alcali minerale, cum ſolutiones vitrioli martis, et veneris, itemque aluminis et ſacchari ſaturni, omnes aliis ſalibus, culinari et mirabili Glauberiano aeque, atque a ſalibus alcalinis praecipitetur. Nec ſyrupi violarum coeruleus color, mutatus in viridem, neque efferueſcentia fontis mineralis cum acidis, alcali adeſſe probant: prius enim a particulis vitrioli martis conſtitutiuis coniunctis; alterum a terra alcalina, aquis inhaerente, dependet. Vt ſalis alcalini praeſentia demonſtretur, requiritur, mercurium viuum, aqua fortis ſolutum, a fonte minerali praecipitari colore aurantio: ſal commune, addito aquae medicatae ſpiritu ſalis, oriri, et ſal mirabile, coniuncto acido vitrioli. Neque ſalis communis praeſentiam inde certam eſſe concedit Cl. Auctor, quod aqua fortis in regiam conuertatur: nam ſal mirabile idem praeſtat: hinc ad alia, vt illud probetur, eſt reſpiciendum. Sulphur denique, quod pluribus aquis medicatis ineſt, ita optime oſtendi putat Noſter, ſi fons mineralis per aliquot menſes putredini exponatur, atque in eundem, ſuper prunis calefactum, nummus argenteus recens purusque coniiciatur: qui, vbi ſulphur ineſt, breui denigrabitur.

p. 27. 3) *Commentatio, naturam foliorum, de arboribus cadentium expendens*, Auctore IO. ANDREA MVRRAY *). Mutationes, quae in frondibus, vetuſtate deciduis, ſeſe manifeſtent, ſuis obſerua-

tioni-

*) praelecta d. 4 maii. 1771.

tionibus hic illuſtrat Cl. Auctor, quas cum in horto botanico inſtructiſſimo, tum in ſiluis nemoribusque inſtituit. Annuarum plantarum folia plerumque poſt floreſcentiam iunctim cum ipſa planta marceſcere et perire refert; quaedam tamen ex illis et biennibus decidunt prius, quam caulis pereat: quorum nonnulla affert exempla. Stirpes vero arboreſcentes, quoad caſum foliorum, in tres diuidit claſſes; aliae enim folia per hiemem integra ſeruant; aliae quotannis autumno eadem deiiciunt; aliarum frondes autumno emoriuntur; colore tamen alieno varieque contortae atque aridae per hiemem in ramis reſtant. Priores pleraeque calidis in terris creſcunt; ſunt tamen in noſtra etiam regione quaedam claſſes ad coniferas potiſſimum referendae, quae ſemperuirentes videntur. Quod in coniferis negat Cl. Auctor pendere a copia reſinae, quum *Pinus Larix* et *Cupreſſus diſticha* LINN. folia perdant. Hanc notam ſpeciebus diſtinguendis etiam idoneam iudicat, monetque non ſemper harum arborum vigere folia, ſed tantum per tres pluresue annos durare, poſtea clanculum decidere. Folia emortua iam per hiemem retinent, e noſtris, *Fagus ſiluatica*, *Quercus Robur*, *Carpinus Betulus*, potiſſimum ſi tenellae ſunt arbores: inter peregrinas *Rhus Cotinus*, et Quercus variae Americanae. *Atriplici Halimo* id peculiare eſt, vt folia vsque ad ianuarii initium vegeta maneant, quo cum ramis exareſcunt et arida remanent.

In foliorum, quouis autumno cadentium, conſideratione Cl. Auctor primo ad colorem, varie mutatum, diligenter attendit, eumque eſſe conſtantem, et ad ſpecies conſtituendas aliquid ponderis habere confirmat. Quaedam folia, etiam viridia, cadunt. Diſci ſuperioris, inferiorisque color foliorum cadentium variat; ſuperiorque prius labem inferiore p. 37.

contrahit; quod quidem a diuerſa vaſorum natura fabricaque pendere cognitum habemus. Varios hos colores Cl. MVRRAY ad claſſes quasdam reduxit, obſeruauitque flauum eſſe maxime frequentem. Poſt ſuperficiem ſuperiorem ex plana vel concaua plerumque in conuexam mutari vidit. Directionem foliorum ante lapſum ita mutari, vt apices ſuo dependeant: quod quidem in variis variis obſeruatur. *Gleditſia* autem *triacanthos* folia offert ſurſum oblique ſpectantia, foliolaque imbricatim petiolo appreſſa. Hanc directionem foliorum Cl. Auctor icone ex exemplis *Robiniae pſeudo acaciae*, *Mori nigrae*, *Gleditſiae triacanthae* et *Pteleae trifoliatae* illuſtrauit.

p. 42. His praegreſſis, ipſe delapſus foliorum ſequitur, qui laxiore facto et tandem exſoluto nexu folii per petiolum cum caule deriuandus eſt, atque diuerſus eſt in foliis ſimplicibus, a caſu foliorum compoſitorum. Cum enim illa vna cum petiolo ſuo delabantur; in his foliola prius, remanente petiolo communi, cadunt. Tempus, quo folia dimittuntur, eandem legem ſeruat, quae in reliquis plantarum mutationibus obtinet. Nimirum ad variam aeris temperiem ſe adſtringit; eadem tamen ſerie, quoad ſpecies ſeſe concomitantes, vel excipientes. Attendendum etiam ad plagam coeli, ſtationem vel aere clauſam, vel liberiorem atque ad variam arborum aetatem, quae in vna ſpecie varietatem temporis efficiunt. Eſt igitur quaedam temporis conformitas, quoad eruptionem et caſum foliorum: quae quo pateat, Cl. Auctor quorundam foliorum caſum ad temporis ordinem hic deſcribit.

p. 50. Cauſſam huius delapſus foliorum Noſter non in frigore ſolo; ſed in gemmarum progerminatione praecipue ponit, quae, cum emergant, foliorum nexum infirmiorem reddunt. Id tum adiuuant variae accedentes cauſſae, gelu, pluuiae et pro-

procellae, quibus perſpiratio et inſpiratio, omnino-que aſcenſus humorum impediuntur.

4) D. AVG. GOTTLIEB RICHTER *obſer-* p. 54.
*uationes de bronchotomia* *). Varia, quae Cl. Auctor et in canibus, et in cadaueribus, et in hominibus viuis, circa bronchotomiam notatu digna obſeruauit, hic communicat. Primo, cum glandula thyroidea plerumque deſcendat, locumque, in quo operatio inſtituenda ſit, tegat, eam vel caute remoueri, vel inferius tracheam incidendam iubet. Poſtea non cutem ſolum, verum etiam telam celluloſam, pinguedinem, muſculos ibi poſitos, et quidquid tegat locum arteriae aſperae perforandum, prius ſeparanda exiſtimat, quam inſtrumentum in tracheam infigatur. Ad inſtrumentum quod attinet, planus ſit fere tubulus oportet, compreſſus, ad latera tenuis, in medio paullo eleuatus, vt vulnus, clauo triquetro factum, plane claudat, ne ſanguis arteriam aſperam intret, vel aër irrumpat in telam celluloſam: hinc vulgaris acus triquetra reiicienda Cl. Auctori videtur. Praeterea tubulus incuruus recto praeſtat. Vt itaque incommoda vulgaris inſtrumenti euitarentur, Cl. Auctor inſtrumentum compoſuit, quo operatio bene ſuccederet. Eſt illud lanceola, vaginula, praeter cuſpidem, vnius lineae longitudine prominentem, latens, anceps, et cum vagina incurua. Quae vna cum vaginula tracheae immittitur; poſtea vero extrahitur, vulnere, a vagina clauſo.

His de cirſocele et hernia inteſtinali incarce- p. 60.
rata quaedam annectit. Priorem, quam alii rarum dicunt morbum, frequenter obſeruauit, putatque, ſaepius cirſocelem fuiſſe a chirurgis habitam pro epiplocele: cum qua, praeſertim in malo aucto, plurima communia habet. Differre tamen ita dicit,



*) lecta d. 3 auguſt. 1771.

vt cirſoceles tumor lente increſcat decreſcatque, tumorisque augmentum ex inferiori regione ad annulum quaſi adſcendere videatur, atque compreſſio annuli abdominalis eam augeat. Multis iisque periculoſiſſimis ſymptomatis, quae Cl. Auctor enumerat, ſtipata eſt cirſocele: hyeme eam minui obſeruatio docuit, ſaepe ſequitur hydrocele. Vir curatur, ſi diutius durauerit, (initio enim ſuſpenſorium ſaepe iuuat,) niſi caſtratione, quam Noſter certum neque periculoſum iudicat auxilium. Si enterocele coniuncta eſt, haec prius aperienda reponendaque, deinde funiculus ſpermaticus reſecandus.

In hernia inteſtinali clyſteres ex fumo tabaci non ſolum plerumque inutiles, ſed noxios etiam iudicat, ſi inteſtina inflammata fuerint. Symptomata eius varia, ſubinde mitiora; quae tamen ſemper ſunt metuenda. Cauſſa mortis non ſemper eſt ſphacelus, ſed aliud quidpiam, Cl. Auctori non plane cognitum. In duobus enim aegris, praeter inſignem inteſtini incarcerati friabilitatem, nihil, quod laeſum eſſet, inuenit. Reperit etiam in operatione cuiusdam herniae fibrillam, quae vno extremo annuli poſteriori parieti, altero inteſtino adhaeſerat, atque repoſitionem impedierat; ea vero diſſecta, inteſtinum, iam valde inflammatum, feliciter reponebatur. Bracherium ferreum elaſticum, quod annulum blanda et aequali vi comprimat, coriaceis vel linteis praefert.

p. 68. 5) IOANNIS BECKMANNI *commentatio de reductione rerum foſſilium ad genera naturalia protyporum* *). Petrificata melius *Foſſilia* dici, doctrinamque de iis et oryctologiae nomen mereri, et vt quartam diſciplinam reliquis hiſtoriae naturalis partibus adiungendam putat Cl. Auctor: deinde plura

*) praelecta d. 6 iul. 1771.

lätur de fossilium antiquitate, et huius disciplinae utilitate in omnem historiam naturalem docte et eleganter disputat: atque, cum fossilia in ordinem redigere necesse sit, praestare affirmat, eadem ad easdem classes, eosdem ordines, genera eadem, easdemque species reducere, quo ante petrefactionem fuissent referenda. Diuidit igitur ea, in *nota*, *ignota*, quorum protypa latent, eaque vel ex coniectura ad protypum quoddam referenda, vel fini oryctologiae subiungenda, veteribusque nominibus nominanda putat; et *ignorabilia*, quae ita sunt deformata, vt, etiamsi eorum protypa cognita sint, non tamen ad ea reduci queant: quae igitur ex oryctologia eiicienda, lusoribusque relinquenda arbitratur. Tum fossilia sunt vel *totalia*, quae integrum referunt protypum; vel *partialia*, quae partem eiusdem aliquam tantum exhibent: Totalia in ordine partialibus antecedant oportet. Denique, quoad modum, quo fossilia sint mutata, nominat ea 1) *immutata*, quae vix vllam subierint mutationem; 2) *incrustata*; 3) *calcinata*; 4) *petrificata*; 5) *metallisata*; 6) *impressa* et 7) *redintegrata*. Conuenit igitur systema Cl. Auctoris in plerisque cum Linneano, cuius hic specimen zoolithorum addit.

Tetrapodolithum hominis omnino dari negat. p. 81.
Praeterimus alios tetrapodolithos a Cl. Auctore, hic diligenter collectos et ad species protyporum reductos; illius tantum mentionem iniiciamus, quem in Russia accepit, atque *tetrapodolithum cerui ignoti*, quem alcen fuisse coniicit, nominat, atque icone illustrauit. Ostendit illa portionem cranii, cum cornubus difformibus, forsan exostosi laborantibus. Ornitholithos veros non agnoscit Cl. Auctor: rostra enim auium, quae ab Auctoribus iudicantur, sepiarum rostra fuisse suspicatur.

catur. Ex amphibiolithis, amphibiolithos testa dinis dubios habet; affert autem, praeter alios LINNAEO dictos, amphibiolithos Raiarum. De ichthyolithis monet, eos fere omnes ad duo genera piſcium eſſe referendos, nimirum ad *Pleuronectes* et *Anarrhichas*: reliquos eſſe ignorabiles.

p. 104. 6) HENRICI AVGVSTI WRISBERGII *diſſertatio de membrana fetus pupillari* *). Primo oſtenditur membranae huius inuentionem nostris temporibus ab Ill. HALLERO et CL. WACHENDORFIO eſſe factam, eamque eſſe diuerſam ab ANDROVANDI velamine, quod ſit tenuis pellicula inter iridem et extremum corneae marginem haerens; eamque etiam a communi quadrupedum carniuororum differre. In omnibus reperiri quadrupedibus, probabileque eſſe, quod omnes vteri viuentes pulli, praeter auium piſciumque, ea ſint inſtructi. Tempus, quo haec pupillaris membrana appareat, Cl. Auctor diligenter diſquiſiuit, illudque in variis animalibus eſſe varium obſeruauit. Ab initio muci cuiusdam inſtar videtur; quinto vero menſe in humanis, vaccinis et equinis conſpicitur, in reliquis animantibus eo maturius, quo breuius grauiditatis tempus iis eſt conceſſum. Quonam tempore, aut qua ratione haec membrana diſpareat, nondum conſtat. Verſus finem octaui et per nonum menſem, fluctuantia quaedam vaſcula vidit, in maturis fetubus vero plane abfuit. In iis tamen, quae clauſis palpebris naſcuntur, fetubus, membrana pupillaris per quoddam tempus remanet. Id quod confirmat exemplum pueri coeci, per aliquot annos ad mortem pupillari membrana inſtructi: qui, cum eum mortuum anatomice diſquireret, oculumque maſſa ceracea iniectum luſtra-

*) d. 6 april. 1771.

illaret, obtulit, cornea detracta, iridem conſtam cum membrana pupillari, cuius vaſa nitide erant repleta. Pars eiusdem membranacea, natu- erat paullo robuſtior, ceterum ei plane ſimilis. hac igitur membrana remanente coecitatem iam fuiſſe apparet.

Quae naturam huius membranulae concernunt ex p. 112.
Auctoris obſeruationibus eo redeunt, vt ſit membrana tenuiſſima, pallida, continuata ab iride, inſtruatque numeroſis vaſculis, quae a ciliaribus et decolobus circuli iridis ſecundi, et lentis cryſtallinae vaſculi oriantur; ipſa vero membrana a cryſtallinae lentis capſula ſit diuerſa. In icone addita egregie pupillaris membrana, vaſis eiusdem iniectis, cum ab anteriore, tum a laterali parte, repraeſentantur.

## VIII.

RUDOLPHI AUGUSTINI VOGEL Phil. et Medic. Doct. Archiatri Regii et in vniuerſitate Gottingenſi Prof. Medic. Ordinar. etc. academicae praelectiones de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus. Gottingae apud Viduam Abr. Vandenhoeck 1772. 8. pagg. 668. praeter dedicationem, praefationem, tabulam totius operis, indicem et addenda.

Nouem claſſes morborum conſtituit Cl. VOGEL, eruditus, felix et prudens medicus, iisque ordines ſubiicit, quarum prima ſpectat *febres*. Altera claſſis *profluuia* continet, quae in duo ordines diſpeſcuit, nimirum in *haemorrhagias* et *apocenoſes*. Tertia claſſis pertractat *epiſcheſes*. Quarta *dolores* Noſter perſequitur. In quinta *ſpaſmi* deſcribuntur. Claſſis ſexta *adynamias* complectitur. Claſſis ſeptima *hyperaeſthiſes* declarat.

Octaua

Octaua *cachex'as* enarrat. Et nona denique claſſis *morbos mentis* expendit.

p. 4. Febris, quae et morbus, et medicina eſt, ita communi conſiderata, primum pertractat Noſter intermittentes, inter quas et decimanarum et mentionem fecit. Nec minus dispeſcit Cl. Auſtor intermittentes in benignas et malignas, harum magnam collectionem recenſuit Cl. MEDICVS *), quem Noſter hic commendat. Valde pernitioſum ſymptoma, quod febribus intermittentibus ſe adiciat, eſt ſopor, qui primo aut altero frigoris ſtadio incipit paroxysmo, ac plerumque in letalem apoplexiam abit. Rara periodicam oblitionem relinquunt. Eiusmodi febres apoplecticae et ſoporoſae interdum epidemico more graſſantur, teſtibus SYDENHAMO, BAGLIVIO, WERLHOFIO, aliisque. Ex vehementiore animi affectu vidit Noſter tertianam in tenera muliere in ſoporoſam mutatam, nec tamen letiferam, cum ſemel tantum incideret.

p. 10. Cauſam materialem harum febrium Noſter ponit in pituita, lympha, bile ſeorſim vel connunctim vitiata. Tertianae exquiſitae in corpore iuuenili, et viſceribus haud laeſis plerumque per duodecim horas durant et quinque, ſeptem aut nouem circuitibus iudicantur. Accedentibus efflorescentiis labiorum tertio vel quarto paroxysmo, iudicatur febris ſeptimo. Tempeſtas et anni tempora curationi febrium harum nec ſeruiunt, nec officiunt. Quartana interdum furunculo in buccis ſoluitur.

Curatio

*) EIVSD. *Geſchichte periodiſcher Kranckheiten* II Th. p. 201. v. comm. noſtr. ſecund. decad. ſuppl. I. p. 91 ſeqq.

Curatio intermittentium cernitur in depurandis p. 14.
primis viis: dein in eo, quod reliquum eſt, corri-
endo, fibrarum tono labefactato reſtaurando et
ta humorum maſſa nouo quaſi balſamo iterum
ndiendo. Vomitoria vel breui ante paroxysmum,
el die vacuo exhibeantur. Neque grauidis iſta
ocent. Quartanae nec ſine ſale ammoniaco, aut
egulo antimonii medicinali poſſunt ſuperari. Re-
gulo poteſt quoque in pertinacioribus quartanis
ddi mercurius dulcis et ſulphur antimonii aura-
um. Inde interdum excitata ſaliuatio fugat quar-
anam.

In diaeta febricitantium ſaliti et muria conditi p. 20.
ibi neutiquam nocent; ſed potius valde ſalubres
ſunt. Neque animalium carnes Cl. Auctor temere
iurta vulgi opiniones damnare poteſt.

Inter febres continuas ſunt malignae et benignae. p. 28.
In his ſuadet Noſter inter alia acida diaphoreticis
remixta; monet autem, ea quoque non omnem pa-
ginam abſoluere, propter maiorem humorum cor-
ruptelam. In horum ergo connubio antiſeptica
non ſunt negligenda, inter quae cortex Peruuianus
in decocto, cum ſucco citri, et puluis contrayeruae
compoſitus, cum nitro datus, palmam ceteris omni-
bus praeripiunt. Camphorae autem igneam natu-
ram adſcribit et idcirco eius vſus Noſtro dis-
plicet.

Ephemeram Noſter appellat diariam, eamque p. 34.
pro cauſſarum discrimine in primariam et ſympto-
maticam dispeſcendam eſſe monet. Haec vulne-
rariam, lacteam, eryſipelaceam, leuiorem catar-
rhalem ac podagricam febrem ſub ſe comprehen-
dit. Amatoriam refert Noſter ad primariam ſpeciem.

In ſynocho ſimplici facies rubra, cutis humida p. 37.
et pulſus magnus atque frequens inprimis atten-
duntur a Noſtro.

Febris

p. 39. Febris neruoſa lenta recentiorum, quam Cl. Auctor malignam lentam dicere mauult, etiam ſynochus ex claſſe putridarum eſt, cuius ſymptomata hic accurate enarrat, inſimulque cum aliis ſuam diſſertationem *), de neruoſa febre eiusque genuina indole indicat.

p. 44. In phrenitide obſeruatur conſtans inſania, maximeque a congeſtione ſeri tenuioris vel inſpiſſati, ſiue humorum omnino efficitur. Non eſſe ſemper phrenitidem inflammationem, in cerebro et meningibus ex ſectionibus cadauerum patet; nec non ex maniacis, quibus cerebrum, vt et encephalos omnino, ab inflammatione eſt immune. Paraphronitis eſt inflammatio diaphragmatis.

p. 55. Quamquam ardentes febres ad malignas pertinent; diuerſa tamen a malignarum cura omnino opus eſt ardentibus medendi methodus, quae cernitur in humectantibus ac refrigerantibus, cum ingeſtis, tum applicatis.

p. 72. Hydrophobia in duo genera eſt diſpeſcenda; vnum pendet a morſu animalis rabidi ſeu omnino irati; alterum ſine contagione a cauſis inquilinis in acuta et inflammatoria febre ſponte oritur. Experientia docuit, hic optimum praeſidium eſſe in mercurialibus medicamentis interne et externe adhibitis, quibus Cl. Auctor adſcribit vim ſpecificam, qua virus ſenſim eneruatur ac demum exſtinguitur. Ceterum limatura cupri, ſcarabaeus melolontha, meloeque, anagallis, radix belladonnae virulenta quoque a Noſtro in hydrophobia laudantur. Praeterea et commendat vnguentum Neapolitanum, et

*) Quae prodiit Gotting. 1767. 4. Reſp. *Sigism. Ern. Alex. Volprecht.*

et pilulas WERLHOFII, ex camphora, cantharidibus mercurioque dulci compositas. Arteriotomiae in dorso pedis, ab ARRIGONIO nuper in comptuario Hannouerano propositae *), non fidit Noster. Occisi rabidi canis faucibus, gingiuis et dentibus affricatur frustum elixae carnis, quod si sanus canis deuoret, nil de rabie illius timendum esse; sin autem repudiet cum anxio et tristi eiulatu, rabie canem fuisse correptum constat.

Sed haec hactenus de hydrophobia contagiosa. p. 81.
Sine contagio acutis morbis sponte superueniens hydrophobia haec remedia non desiderat. Multo potius in ea repetitae venaesectiones conducunt.

Praeseruare homines a variolis grassantibus p. 91.
magis in votis est, quam in artis potestate. Nec insitio variolarum quemuis tutum a malignis et letalibus variolis praestat. Extra epidemiam initio non est adornanda ob metum contagii varioloſi. Exstirpationis variolarum, quam Cll. KRAVSIVS **) et MEDICVS ***) proposuerunt, postremo facit mentionem.

Morbilli semel salutatos vix iterum occupant; p. 95.
sequuntur variolas, seu iis antecedunt, interdum vterque morbus mixtus obseruatur. Morbillorum insitionem primum a FRANCISCO HOME ****) tentatam

*) a. 1767. 64 *St.* a. 1768. 33. 38. 103 *St.* a. 1769. 14 *St.*

**) comm. nostr. vol. XIII. p. 48.

***) comm. nostr. secund. decad. supplem. II. p. 214 et 224.

****) v. princ. medic. p. 186. comm. nostr. Vol. XIV. p. 657.

tatam fuiſſe Noſter affirmat cum ſanguine, gaſtropio excepto. Cl. MONROOVS *) ſaliuam, lacrymasque aegrorum morbilloſorum tempore criſeos bombace exceptas aut ſquamulas cutis deſquamantes inſeruire poſſe infitioni aſſerit.

p. 107. Petechiae, nunquam criticae, a Noſtro vt morbus et vt ſymptoma, aliis morbis accedens, conſiderantur. Veroſimilius porro Noſtro videtur, haec exanthemata prouenire a ſpiſſa putridaque lympha, quam a putrida ſanguinis diſſolutione: quum in his ſanguinis cruſta denſiſſima, vti pleuriticorum poſt venaeſectionem nonnunquam apparuerit. Quapropter et cum Cl. STRACKIO **) purgantia et enemata hic ſuadet.

p. 111. Scarlatina, purpurae quoque nomine, rubeolorum, morbillorum igneorum, zonae, ignis ſacri, et roſaliorum veniens, ad remittentes amphimerinas ſpectat. Cuius duplex Noſter conſtituit genus, ſimplex nimirum ſeu maculatum, dein puſtulare. Saepe populariter graſſatur ſcarlatina et per tres menſes plerumque ſaeuit. Praeterea laudatur et Cl. PLENCITZ ***).

p. 114. Eſſaram, quam SENNERTVS cum vrticata confudit, Noſter hic deſcribit. Febrem poſtea bulloſam pemphygoden recentiorum, quam h. SAVVAGES bis in mendicantibus vidit, Noſter conſiderat. Bis Noſter vidit linguae inflammationem, quam gloſſiten appellat. Tumet lingua interdum

*) de ven. lymphaticis p. 58. comm. noſtr. Vol. VII. p. 39. it. *Neues Bremiſches Magazin.* Vol. II. St. 2.

**) EIVSD. obſ. medic. de morbo cum petechiis. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 415 ſeqq.

***) EIVSD. oper. med. phyſ. Tom. III. comm. noſtr. Vol. XV. p. 137.

terdum variis ex cauſſis, vt ex copia alimenti *), a materia venerea et cancroſa; quibusdam autem et a natiuitate. Talis tumor congenitus Noſtro ſemel occurrit. Lingua erat magis extenſa in latum, omnino vero tumida cum mollitie, ex ore perpetuo emanabat ſaliua, nec et in tertio anno infans fari poterat.

Angina a Noſtro in veram, gangraenoſam, p. 133.
ſtrangulatoriam, pituitoſam et arthriticam dispeſcitur. Gulae reſolutio a quibusdam temere ad anginam eſt translata. Secundum hanc anginae diuerſitatem Noſter dirigit curam. Anginam ſpuriam Noſter aquoſam et catarrhalem vocat cum HIPPOCRATE, quae vuam et tonſillas occupat. Sciendum praeterea eſt, ſyphilliticos et ſcrophuloſos ad quandam anginam ſpuriam eſſe pronos, quae, tametſi catarrhali ſeſe appropinquet; multum tamen ab ea diſtat. Alia rurſus angina notha morbis, vt variolis, acutis febribus etc. ſuperuenit, alia ab hydrargyroſi efficitur.

Pleuritidis diuiſio in humidam et ſiccam Noſtro p. 146.
non arridet, quoniam vera et ſola pleuritis ſemper ſicca eſt. In peripneumoniam autem, ſeu pleuropneumoniam cadit haec diuiſio. Ad expectorationem nimis tenacis pituitae commendat Noſter eſſentiam galbani, cum ſpiritu frumenti paratam, ita, vt vnciae dimidiae galbani impurioris ſuperaffundantur ſpiritus dicti vnciae octo, cuius cochlear plenum quouis bihorio exhibendum ſit. Id quod remedium Noſter ex reſoluentibus potentiſſimum atque tutum iudicat. Suadet et eandem eſſentiam externe lateri afflicto applicare.

Quando-

*) vid. CHPH. GOTTLIEB BÜTNER *von einem aus dem Munde herausgegangenen Fleiſchgewächſe. Königsb.* 1770. 4. comm. noſtr. XVIII. p. 350.

p. 173. Quandocunque hepatitis in ſuppurationem abiit, tum nulla reſolutionis ſigna, certe non perfecta apparent. Vrinam enim quidem ſemel Noſter vidit criticam; at nullos ſudores in hoc caſu. Interim aeger poſt ſuppurationem rurſus lectum reliquit, appetens bene cibos et dormiens, paullo poſt denuo febricitans, multum ſputi purulenti exſcreabat et anxie exſpirabat. In ſuprema hepatis parte ingens apoſtema detectum eſt. Ad hepatitidem externe lapſus, atque grauior ictus hepatis, et vulnera capitis notabiliora *) conferunt.

p. 178. Nephritis potius ſiniſtrum, quam dextrum occupat renem, raro vtrumque. Pariter in ſuppurationem abit, vbi, tumore in dorſo apparente, nephrotomiae ope pus eſt euocandum. Fiſtuloſum quidem vlcus in dorſo plerumque relinquitur; ex quo autem nulla noxa aegro euenit. Ad vlcera purgationem internus et diuturnus vuae vrſi vſus videtur proficere.

p. 189. Veſicae vrinariae et vteri inflammatione tractata, ad vteri ſcirrhum Noſter venit. Feminae, eo laborantes, concubitum, ob dolorem ferre vix poſſunt, neque amplius fere ad concipiendum aptae ſunt; grauidae autem factae perdifficilem partum aut nullum experiuntur et rupturae vteri letali patent. Alias vteri ſcirrhus abortum citat.

p. 192. Agmen febrium inflammatoriarum, de quibus hactenus Cl. Auctor egit, claudit eryſipelacea, quae vel partes corporis infeſtat et in facie ſaeuioribus ſtipata eſt ſymptomatibus, vel interdum omnes propemodum corporis partes ſimul occupat. Qui ſaepe eryſipelate ſpontaneo ſeu primario, relicto

*) v. Cl. CHESTON patholog. inquir. and obſerv. in ſurgery p. 32 et 122. comm. noſt. Vol. XV. p. 38 ſeqq.

licto tumore pedis, quem occupauit, corripiuntur, eodem tandem pereunt. Interdum aliis morbis ſuperuenit eryſipelas, quod appellatur ſecundarium, mortemque celeriter inducit. Denique quaedam addit de zoſtere, zona vel herpete, vbi zoſteris ſpurii quoque mentionem iniicit Cl. VOGEL.

Non videtur Noſtro in haemorrhagia narium ſanguis ex venis, ſed arteriolis promanare, rariusque fluit idem ex vtraque nare ſimul. Porro de epiſtaxi et de artificiali narium haemorrhagia per dilacerationem vaſorum in naribus agit, a veteribus et recentioribus commendatam. p. 201.

Ex quorundam auctorum obſeruatione haemoptyſis, eademque larga, ſine omni tuſſi cum quadam veluti duntaxat exſpiratione patet. Id quod Noſter quoque non negat quidem penitus in praemagno ſanguinis effluxu; exiſtimat tamen, eam ſaepe πτύσιν eſſe GALENI et ARETAEI haemorrhagiam oris vel faucium, quacum pulchre poteſt confundi haemoptyſis, de qua Noſter non multum ante diſputauit, vbi et de bulla ſanguinea, in palato occurrente, egit. Inter remedia contra haemoptyſin inuenimus quoque ſerum lactis aluminatum et ſal volatile oleoſum SYLVII. p. 209.

In infantibus recens natis vomitus cruentus cum ancipiti euentu etiam aliquando incidit, et id quidem procul dubio ex vehementi ventris aut capitis in partu compreſſione. Suadet hic olei amygdalarum dulcium vnciam vnam, in qua diſſoluta ſit drachma dimidia ſpermatis ceti. p. 215.

Fluxus hepaticus ex hepatis vlcere inſanabilis eſſe Cl. Auctori videtur. Alter ex inteſtinorum vaſorumque meſaraicorum laxitate rebellis et pertinax eſt, tabemque letalem ſaepe infert. p. 220.

p. 229. Stymatoſis eſt haemorrhagia penis immodica, ſeu actiua, idem periculum offert, atque aliae haemorrhagiae. Periodica ſeu paſſiua aeque ſalubris est viris, ac menſtrua mulieribus. In morbos enim incidunt, quibus ſupprimitur aut retinetur ſtymatoſis. Si ictero accedit ea, hunc ſolui obſeruatum eſt. Id quod tamen vix vnquam fieri ſolet.

p. 236. Vteri in haemorrhagia laudatur a Noſtro oleum martis, ad guttas octo vel duodecim cum largo aquae vehiculo aliquoties ſumtum. Haemorrhagias a partu pilulae balſamicae BECCHERI vel STAHLII celerrime ſiſtunt.

p. 237. Inter apocenoſes refert et Noſter catarrhum narium, faucium et pulmonum. Catarrho narium proxime accedit phlegmatorrhagia, in qua vitro et copioſe humor tenuis lymphaticus, velut ſanguis e naribus, quibusdam, ſine ſatellitio catarrhi alioue incommodo, deſtillat.

p. 255. Fluxus coeliaci fons vniuerſa humorum maſſa eſt, reliquosque illius fontes Noſter reiicit. Repentinum alteroque die iam finitum profluuium eiusmodi aluinum Noſtro in iuuene occurrit, quod choleram aemulabatur, atque copioſa deiectione aeque, ac vomitione materiae albae, pulticulam, et braſſica cauliflora cocta et contrita factam, quaſi conſiſtentia et colore referentis, abſoluebatur.

p. 267. Cholera in ſiccam et humidam a Noſtro diuiditur, iisque additur recentiorum flatuoſa. Sicca Noſtro videtur ſymptoma hypochondriacum, ſaepeque recurrens eſſe. Per aluum porro prodeunt calculi, hydatides, molae et alienigena. Subinde nimirum ex aluo concrementa ſanguinea, fibroſa, cartilaginea deturbantur, quas molas inteſtinorum vocant. Item non temere quaeri poſſe Noſtro videtur: annon interdum in inteſtinis

queant

queant generari pili, cartilagines aliaque monſtroſa concrementa, cuiusmodi interdum in abſceſſibus et tumoribus viſcerum tunicatis reperiantur? Ipſi Noſtro conſtat, glomerem pilorum, lino pexo ſimillimorum, ab aluo matronae, diu afflictae, reiectum eſſe.

Ad epiſcheſes eos morbos Noſter refert, qui ex retentione excernendorum oriuntur e. gr. menſtruorum ſuppreſſione, quam nonnunquam hymen prorſus clauſum, aut membrana, ibi ſita, et oſtium vaginae claudens efficit. Hic ſcalpello via aperienda et turunda aperta ſeruanda eſt. Dein eſt fiſtula plumbea digiti craſſiti, e ceruſſae vnguento obducta, ſi opus eſt, immittenda. p. 289.

Ad cauſſas iſchuriae et dyſuriae rariores pertinent hernia verſicae, vermes ibidem hoſpitantes et capilli. Si capilli minguntur trichiaſis appellatur morbus. Hernia veſicae eſt, vbi eius pars in perinaeo apparet, aut per annulum muſculi obliqui prorumpit, vel in inguine prominet, vel teſtis adeo tunicas diducens in ſcrotum deſcendit. Qui morbus cognoſci poteſt, ſi homo vrinam non reddere poteſt, niſi preſſo exterius tumore. p. 310.

Inter dolores primum nominat Noſter cephalgiam, odontalgiam et otalgiam, iisque ſubiungit deglutitionem impeditam. Denegatur nimirum tranſitus ciborum vel ex impedimento in ſuperiori gulae parte, vel in media *) aut inferiore **). Procedente morbo, et tenuia molliaque absque dolore non deglutiri poſſunt. Ventriculus vacuus, cum repletur, dolet, magis tamen hic, quam ille. Non paucis, maxime ieiunis inſipida lympha in os aſcendit. Sub deglutitione magna eructatio, quae ſi abeſt, inſignis anxietas. Malum interdum remittit, ſed p. 317.



*) vid. Verhandel. van. de Hollandſche maatſch XIII. Deel. p. 262.

**) vid. ibid. XII. Deel p. 644. Comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 597.

mox recurrit. Corpus ſubinde emarceſcit et loco tenuioris lymphae ſpiſſior demum pituita ſub deglutitione reiicitur. Morbus diu ſaepe durat, et per plures menſes annosque continuat. Cauſſae huius mali non raro in cadauere primum cognoſcuntur. Spaſtica plerumque tollitur, niſi proficiſcatur a vitio mechanico, quod in glanduloſarum et membranacearum partium humoribus, ſcirrhis, indurationibus, modo glandulam thyreoideam modo tracheam, gulam, glandulas dorſales, ventriculum ac imprimis cardiam, pancreas, nec non alias atque alias partes, quin pulmones ipſos occupantibus, cernitur.

p. 334. Signis iam communibus, iam propriis huius morbi vel ſuperius, vel inferius oeſophagum ſpaſtice contrahentis, accurate enarratis, ad iſtum morbum tollendum, externa aeque, atque interna antiſpasmodica et anodyna, cum diſcutientibus requiri, Noſter arbitratur, atque purgantium noxium vſum hic declarat. In extremo caſu balaenae flexilis, cuius apex ſpongia eſt munitus, aut fiſtulae, quae longae in oeſophagum demiſſae cum annexa veſica, ſuccos nutrientes in ſe continente*), vſus hic ſuadetur. Quidam aegri neceſſitate commanſos cibos digitis ſuis vi intrudere didicerunt.

p. 337. Praeterea impedit etiam, licet rariſſime, deglutitionem laxatio appendicum oſſis hyoidis, eaque a violenta muſculorum hyopharyngeorum diſtenſione ſub maioris atque craſſioris boli deglutitione producitur. Tum apta oſſis hyoidei ope digitorum contrectatio, eaque reiterata, illico morbum tollit.

p. 341. Maxime affinem cardialgiae Noſter arbitratur eſſe ventriculi inflationem, quae continuata ſuffocationis metum facit, quin immo cartilaginem enſiformem ex ſua ſede mouet, ipſumque ventriculum ad rupturam deducit.

Videtur

*) vid. Journ. de Médéc. cet. Tom. XXXI. p. 431.

Videtur Noſtro arthritis ex peculiari ſucco morbido naſci, quem natura ad praeternaturalem legem coquit et per iſta plerumque vaſa, quae articulorum ligamentis ac membranis non minus, quam tendinibus ſmegma ſuum naturale largiuntur, rariſſime in ipſo articulorum cauo per glandularum, ibi poſitarum, arteriolas cum rubore inflammatorio, vel inflammatione deponit. p. 371.

Raphania, ſeu morbus rigidus eſt morbus ſpasmodico conuulſiuus, interdum epidemicus, ab Ill. LINNAEO *) ita dictus. Cauſſam huius morbi, ab Ill. LINNAEO nominatam non aſſumit. Nemo fere non, praeter infantes lactentes, eidem ſubiectus eſt. Forte lac videtur antidotum eſſe contra hunc morbum, quoniam lactentes ab eo manent immunes. Perdifficile iudicat quidem, cauſſam huius morbi reperiri; exiſtimat tamen, omnes cauſſas materiales, quae ſpasmos excitare valent, etiam vim habere, raphaniam nunc in multis, nunc in paucioribus, nunc et in vno homine ſuſcitandi. Tametſi vero legitima morbi cauſſa nondum potuit reperiri; minime is pro incurabili cenſendus eſt. Conſtat, eſſe miasma acre cauſſam, illiusque vel correctio, vel expulſio a medico eſt tentanda. Quod ſi vero ſuſpicio cadit in ſemina venenata, ſecalinis ac hordeaceis, vnde panis conficitur, intermiſta, tutum omnino eſt, licet ſuperuacuum, iſta ſemina ſollicite a prioribus repurgare, eaque in animantibus domeſticis tentare. p. 397.

Specifici cuiusdam medicamenti aduerſus epilepſiam chronicam, quod venereae indolis eſt et ex vitriolo de cypro paratur, hic a Noſtro mentio eſt iniecta. p. 406.



*) v. amoen. Acad. Vol. VI. p. 430. v. comm. noſtr. ſecund. decad. ſupplem. I. p. 24.

p. 415. Oleum ſcorpionum, lumbis illitum, iuuat in tuſſi conuulſiua, nec non vnguentum pectorale commode pectori applicatum. Hoc minus proficit, quam illud. Inter cibos acetaria quam maxime prodeſſe in hac tuſſi, fideliter monet Cl. VOGEL.

p. 431. Ruminationem humanam neminem audacter negare poſſe Noſter arbitratur. Alia ruminatio a natiuitate ſuam originem trahit, ſic, vt a parentibus ad embryonem transferatur, aut connata ſaltem exiſtat; alia a morbo ventriculi, nominatim vomitu frequenti aut diuturna eructatione. Haec nec ſelectis cibis, nec medicamentis obtemperat; ſed pertinaci repreſſioni, qua motus ventriculi ſupprimuntur; illam nemo quidem curauit, quam Noſter tamen non pro plane inſanabili habet.

p. 435. Peſſimum atque exitialem Noſter eum iudicat vomitum, quo liquida, atramentum, chocçolatam, aut tabacum colore referentia, copioſe euomuntur. Vomitum a vectione optime auertit ſpiritus rorismarini, in charta empiretica extus ventriculo applicatus.

p. 455. Progreditur Noſter ad apoplexiam, cuius cauſſae in ſex claſſes hic ſunt diſtributae. Nulla aetas, ne infantilis quidem, ab ea immunis eſt. Diſcrimen apoplexiae in ſanguineam et ſeroſam in curatione non magnopere eſt attendendum, quod certis notis non vbiuis corporum deprehenditur. Curam inprimis dirigere oportet depletio et repletio vaſorum encephali. Apoplexia ex obeſitate omnem curationem reſpuit; prophylaxin vero permittit, quam oxymel ſcilliticum cum ſale neutro, ſapo Venetus, ſingula quidem ſub largo ac diuturno victu ſimulque diaeta tenuis, modicaeque exercitationes ſpondent.

Tinctu-

Tincturam veſpae auratae ſuadet Noſter in paralyſi cum GODOFR. CPHP. BEIREIS *), et tentamina vlteriora cum ea optat. Paralyſis a frigore curationem ab antimonio crudo recipit. Interdum paralyſin vehementior animi commotio tollit. p. 468.

Cauſſa catalepſeos non tam in encephalo, quam in imo ventre haerere videtur. Id quod methodum medendi dirigit. Aduerſus amauroſin ex vulnere ſupercilii ipſius fricatio ea parte, vbi ex orbita neruus, qui ramus nerui ophthalmici eſt, educitur, prodeſſe obſeruata eſt. p. 470.

Ad loquelae vitia pertinent blaeſitas, balbuties ischnophonia, battarismus, ſibilismus, rottaciſmus, mutitas ſeu aphonia. p. 492.

Vertigo ſimplex eſt cum ſenſu circumgyrationis; ſcotomia, ſi viſus ſimul obſcuratur; caduca denique, ſi praeterea homo in terram cadit, pereunte omni ſenſu. Quo grauior et diuturnior eſt vertigo, eo pertinaciorem cauſſam prodit. In vertigine a narium haemorrhagia ſuppreſſa ſcarificationes ceruicis ac dorſi vel ipſarum narium ſuadentur. p. 515.

Si capitis dolorem ac vertiginem ſequitur ſonitus aurium, infauſtum ſaepe exhibet apoplexiae praeſagium. Ac in vertiginoſis, ſyncopticis atque epilepticis inſultum nouum prodit. In febribus acutis ſoluit ſonitum aurium, haemorrhagia narium, qua non ſuccedente, delirium portendit, vtique ſi ſuppreſſum lotium, aut ſi crudum mingitur. p. 520.



*) vid. EIVSD. diſſ. de paralyſi grauiſſima femorum crurumque ſanata. Helmſtad. 1762. 4.

p. 527. Venit iam Noſter ad icterum ab antiquis tunc arquatum, tunc regium, dictum, omni omnis aetatis generi communem, cuius cauſſae ſunt multiplices. Talem Noſter vocat eum morbum, qui durat, et interea corpus, febre quadam plerumque ſuperueniente, conſumitur: quae, ſi leuior et febricula lenta, ſi grauior, hectica nominatur. Tabis autem cernuntur hic plures ſpecies: atrophia, infantibus potiſſimum communis; phthiſis neruoſa, olim hectica, ſeu cachexia. Cum ea conuenit tabes dorſalis ſeu coeca HIPPOCRATIS. Tertia ſpecies tabis hectica appellatur, et quarta eaque grauiſſima a graecis φθίσις nominatur ac ſicca et humida deprehenditur. Accidit interdum, vt vna fouea, aut forte binae in pulmone efformentur, parietibus calloſis circum circa obductae, ita, vt collecta ibi materies minime parenchyma penetrare aut inficere poſſit, ſed quotidie tota exſcreetur, idque ingenti copia. Eiusmodi ergo homines fonticulum quaſi in pulmone habent: alias bene comedunt, reſpirant, dormiunt, neque quidem contabeſcunt. Tuſſis autem conſtans, humida et longa facit, vt phthiſi laborare eos nemo fere dubitet.

p. 546. In curatione tabis ſiue hecticae, ſiue phthiſicae, ad febrem eſt reſpiciendum, et ad ipſius fomitem in maſſa ſanguinea. Fruſtra plerumque hic cortex Peruuianus datur; antihecticum POTERII et tinctura antiphthiſica GRAMMANI autem cum ſucceſſu citra omnem experientiam exhibuit in hoc morbo.

p. 548. Atrophiae rachitis admodum affinis eſt, quin ipſa atrophia eſt, cum ea epiphyſes articulorum in tumorem eleuentur, ipſaque membra ſimul marceſcant. Internae carotides arteriae et iugulares venae

venae iusto maiores; externae contra exiliores spectantur in rachiticis.

Proxima hydropis qualiscunque caussa pleris- p. 552.
que hodie esse creditur atonia, siue laxitas totius corporis omniumque viscerum; idque recte colligitur quidem ex remediorum tonicorum energia, quae omnia omnino proficiunt in hydropis variis speciebus; attamen nescit Noster, annon, in languore speciali vasorum nunc arteriosorum, nunc venosorum, nec non lymphaticorum, causa melius cernatur? Multos enim cachecticos ab hydrope immunes, et hydrope saccato laborantes satis alacres et sine cachexia saltem valde diu vidit. Quapropter languor in dimittendis humoribus serosis ex suis vasis facilis Nostro videtur hydropis caussa. Ac speciales tales imbecillitates, sine communi corporum labe, ex aliorum viscerum morborum affectione, sine totius corporis debilitate exemplis probat, quorum vnum addimus: obseruauit nimirum olim in matrona, cui brachium ex apoplexia paralyticum factum, particularem eiusmodi arteriae brachialis languorem, vt per plures dies nullus in carpo perciperetur pulsus, paralysi licet iam finita. Ex his omnibus itaque Cl. Auctor colligit, hydropes particulares multos in optima etiam viscerum et humorum constitutione oriri posse.

Optimum signum hydropis pectoris est fluctua- p. 564.
tio, quam aeger sentit, reliqua Noster ambiguitatis accusat. Hydrops peritonaei, vt omnis saccatus hydrops, in mulieres potius cadit, quam in viros.

Omnis hydrops saccatus fere insanabilis est. p. 567.
Semel nihilominus tamen Nostro contigit, hydropem peritonaei stupendum, qui iam duodecim annos durauerat, oxymelite de colchico Cl.

STOER-

STOERCKII *) feliciter ſanatum fuiſſe: quod fere incredibilem diureſin per aliquot dies excitauerat. Hydrops peritonaei et abdominis ſaccatus, nec non hydrops vteri grauiore lapſu nonnunquam ſolu-
vuntur.

p. 573. Clyſteres in tympanite ex carminatiuis, licet vbique commendati, nullam ferunt opem. Calidi enim vapores flatus augent indeque et incommoda. Frigidi vero potius interdum conducunt. Paracenteſis in tympanite abdominali non aliena videtur; tantum vero abeſt, vt vere profit, vt mortem potius acceleret.

p. 576. Scorbutus ſubinde oritur, paullatim ſymptomata augentur, ac tandem noua ſuperueniunt. Quapropter tria ſcorbuti ſtadia Noſter conſtituit. Ad diſcrimen in calidum, frigidum et muriaticum ſcorbutum in curatione non eſt attendendum: vtpote quae nunquam experientia fida, ſed imaginatio docta tantum ſtabiliuerunt; nec ad contagioſos, vti nonnulli volunt, eſt ſcorbutus referendus.

p. 582. Morbi venerei naſcuntur quoque tum ex ſola immoderatae veneris vſu, tum ex contagione. An vero ex communi lecto, ex infecta veſte, ex poculis, ex eiusdem latrinae vſu, et per manus obſtetricis venereae illi propagentur, valde dubitat Noſter: item an illi interdum diu et ad multos annos lateant in corpore ſine vlla nota manifeſta. Vſu cerevorum, a Goulardianis diuerſorum, commendato, ad bubones Noſter venit, quos phlegmonodeos, oedematodeos, atque ſcirrhodeos eſſe aſſerit. Tum

*) Erat hoc oxymel colchici ex duplo maiore doſi radicis paratum, quam Cl. STOERCKIVS in libro de colchico. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 127 et 130 ſeqq. recipi praeceperat, et quantitate cochlearis maioris mane et veſperi offerebatur.

Tum in viris, tum in feminis apparent in partibus genitalibus vlcuſcula ſuperficialia perinde, ac circa anum. Solent vero haec citra contagium venereum in viris interdum accidere, nec non in feminis quoque, ſine et cum coitu. In coitu ex fluore albo acriori, ſine coitu, ex acrimonia humorum, has partes inungentium, itemque ex haemorrhoidum vitio. Facile autem eiusmodi vitia ab vlceribus venereis poſſunt diſtingui, quod ſolis abſtergentibus atque cathaereticis, ſedulo applicatis, ſanationem haud aegre admittunt.

Inter excreſcentias venereas, quibus topicos venereos morbos finit, reperimus verrucas, porros, condylomata, criſtas, thymos, mariscos, rhagades ſeu fiſſuras, quae in partibus genitalibus vtriusque ſexus, circa anum et in perinaeo apparent et ſolummodo, quoad magnitudinem, amplitudinem, rotunditatem, longitudinem, planitiem inter ſe differunt; curam autem omnes eandem poſtulant. p. 600.

Ad ſanandam luem veneream vnum ex his tribus ſufficit, lignum guaiacum, mercurius viuus et quaedam *) eius praeparata, dulcis et corroſiuus. Reliquis remediis antiuenereis aegros, et medentes ſuperſedere poſſe Noſter arbitratur. Inter potentiora vero antiſyphilitica merito huc camphora et lobelia **) ſunt referenda: Guaiacum inprimis laudat Noſter hic tum, ſi ſcrophuloſa aut ſcorbutica cachexia, cum lue coniuncta eſt, nec minus contra dolores, ab impura venere olim ortos, et ab hydrargyroſi relictos. Lubenter Noſter cum guaiaco radicem dulcamarae, ſaponariae, eiusdemque folia coniungit. p. 603.

Si

*) v. VAN SWIETEN ſupra p. 87.
**) ib. p. 90.

p. 609. Si manus vel pedes tantum ſcabies infeſtat, eam optime citoque tollit herba boni Henrici recens bis de die impoſita, quae, quaſi magnetis inſtar, omnem humorem morboſum copioſe et cum maximo foetore ex ſanguine extrahit, vnde breui quoque tumor harum partium euaneſcit. Repulſa aut regreſſae ſcabiei ad cutem propulſionem adiuvat inter alia et fuligo, ad ſcrupulum ſaccharo admixta, et quotidie bis ſumta. Porro et haec ſcabies velut miasma varioloſum poteſt inferi. Hanc ſequuntur hic lepra Graecorum, impetigo, elephantiaſis ſeu lepra Arabum.

Elephantiaſin bis in mare et femina Noſter obſeruauit, multaque ſymptomata, nunc ab antiquis, nunc a recentioribus nonnullis narrata, in ſuis aegris non vidit. In mare animaduertit Cl. VOGEL praemagnum pedum oedema et copioſum ſeri foetidi ex eo effluxum, vna cum ſingularibus vermibus, quos Cl. MVRRAY*) accurate, vti ſolet, expoſuit, addiditque icones: in femina hoc oedema prorſus defuit. Ad conſtituendam rite atque cognoſcendam elephantiaſin, eamque a Graecorum lepra, qua multo peior ac funeſtior, diſcernendam nihil aliud requiritur, quam vt cutis aſpera, atque pruriens, non ſolum crebris maculis, ſed et tumoribus crebris iisdemque, ex rubro liuidis, vel atris, inſimulque, duris et valde dolorificis, inque longam et tardigradam exulcerationem pronis, obſeſſa ſit. Laudatur et hic in elephantaſi externus ſus boni Henrici et dropaces reprehenduntur.

Iam

*) EIVSD. de vermibus in lepra obuiis iuncta leproſi hiſtoria etc. Gotting. 1769. 8. c. f. v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 238.

Iam Noſter progreditur ad achores, fauos et tineam, quorſum et cruſtam lacteam refert, quae faciem inprimis occupat. Sunt vlcera manantia ingenti cum prurigine et ſcalpendi cupidine coniuncta, acceduntque phthiriaſis et ſcrophuli. Suſtinent haec exanthemata interdum in acutis vicem criticarum excretionum. p. 622.

Inter quadrageſimum quintum et quinquageſimum aetatis annum mulieres maxime cancro laborant; frequentiſſimeque moniales eo corripiuntur. Non ſolum ex ſcirrho, licet plerumque, oritur; ſed ex nudatis, eroſis, vel alio atque alio modo laeſis papillis nerueis in qualibet cutis parte, inprimis in palpebris, oculis, lingua et cole. Eſt tum tumor fungoſus et idcirco quoque a Noſtro cum b. VAN SWIETEN *) cancer fungoſus appellatur. Profluuium ſanguinis ex cancro aperto cauſſam mortis non raro affert. Excipienda autem hic eſt illa haemorrhagia, quae in mulieribus, quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, ex papilla cancroſae mammae ſingulis menſibus forte contingit; quaeque nec immoderata, nec pernitioſa eſt, ſed quam maxime potius ſalutaris, dum ad bonam curationem cancri permultum confert. Belladonnae, quam et Cl. TIMMERMANNVS **) laudat, vſum cicutae Noſter in cancro praefert. Commendat porro Noſter aquae calcis viuae ***), ſex vel octo vncias mane et vesperi cum totidem vnciis decocti radicis ſarſaparillae vel ligni guaiaci aliorumque radicum et p. 634.

*) EIVSD. comm. in BOERHAVII aphorism. Tom. V. §. 496. v. comm. noſtr. Vol. hoc. p. 72 ſeq.

**) EIVSD. progr. de belladonn. Rintel. 1765. 4. v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 544.

***) v. Noſtri diſſ. de curat. cancr. occ. et apert. per aq. calcis viu. potam praeſtitam. Reſp. *G. M. H. Baumbach.* Gotting. 1769. 4.

et lignorum ſanguinem depurantium, addito decocto ſecundario pro potu ordinario et ſumtis ſingulo quatriduo vel octiduo pilulis balſamicis HECHERI.

p. 640. De vermibus dum a Noſtro exponitur, crinonum et comedonum iniecta mentione, aſcaridibus lumbricis teretibus atque taeniae addit duas alias ſpecies, faſciolam nimirum et trichuridem. Taeniae rurſus tres conſtituit ſpecies, taeniam acephalam, capitatam, cucurbitinamque. Praeter has vermium, qui ſaepe figura et colore variant, ſpecies varia animalcula, vt bufones, anguillulae, hirudines, gordii, lacertae, ranae e. s. p. reperiuntur.

p. 652. Inter anthelmintica palmam centenis aliis praripere videntur Noſtro, purgantia mercurialia, iterum iterumque data, ſemen cynae et decoctum hydrargyri. Atque iſta remedia aſcarides, lumbricos et trichurides fortiter enecant ac expellunt. Taeniis autem obuiam it radicis filicis, in puluerem contritae ſcrupulo, vel drachma dimidia, cum gummi guttae granis tribus mane et veſperi per aliquot dies. Lumbricorum numero euacuato, aut taenia expulſa, homines ita, vt poſt paracentheſin, ſe vacuos ſentiunt. Non raro et tum morbi neruoſi remanent.

Hac occaſione Noſter genuinam compoſitionem remedii arcani Cl. HERRENSCHWANDII, qui Cl. VOGEL hanc reuelauit, eamque patefacere permiſit, communicat cum Lectoribus. Conflat nimirum ille puluis ex gummi gutta, ſale abſinthii et carbone fraxini.

p. 655. Morbis mentis finitur hic elegans ac lectu dignißimus liber. Ac primum mania et melancholia: dein fatuitas, ſtupiditas, amentia, et denique obliuio a Noſtro exponuntur. Arcanam quandam dispo-

dispoſitionem in cerebro et ſyſtemate neruoſo, cum idioſyncraſia quadam, quae et hereditaria eſt, ſtatuit Noſter. Falſa eſt opinio, febre carere maniam. Febre acuta iudicata eſſe inſaniam et febrim per vrinam criticam vidit. Inter remedia hic hellebori albi radicem maniacis, melancholicis nigri ad pauca grana conducere legimus. Cadit porro in hos morbos mentis diſtinctio in connatos et acquiſitos, quae profecto et curam magnopere dirigit. Laudantur et hic alii libri, ad quos legendos lectores amandantur, vti praeclare et pulchre ſolitus eſt Cl. VOGEL, per totum hunc librum.

IX.

*Das in Wien im Jahre 1771 und 1772. ſehr viele Menſchen anfallende Fäulungsfieber. Samt Anhang einer bösartigen Krankheit, welche im Jahre 1770. unter den Kindbetterinnen im Spitale zu St. Marx gewütet hat. Beſchrieben von* I. P. XAVERIO FAVKEN *D.* A. D. etc. *Wien 1772. gedruckt bey Jo. Thom. Edlen v. Trattnern. Seiten 70. nebſt Vorrede.*

i. e.

Febris putrida, Viennae 1771 et 1772. admodum graſſata, cum maligno quodam morbo puerperarum, qui 1770. in noſocomio St. Marx occurrit. Auctore I. P. XAVERIO FAVKEN, M.D.

Venaeſectio in febribus putridis dirigenda eſt inflammatione, cum iis interdum coniuncta. Vbi venaeſectio et eius repetitio aeque magna commoda, quam in febribus putridis,

inflammatione non coniuncta, eadem affert incommoda. Quapropter et Cl. FAVKEN ſymptomata et ſigna febrium ſimplicium putridarum, vbi materia morboſa in primis ſolummodo haeret viis, et compoſitarum ſeu cum inflammatione, vbi praeterea et alia pars corporis inflammata eſt, ſedulo diſtinguit.

p. 31. Inter remedia, a Noſtro hic adhibita, reperimus et camphoram, cuius vim antiputridam magnopere laudat. Saepe et criſis metaſtatica ad parotides aliasque partes in his morbis occurrit, et hic ſuadet, emollientibus, externe applicatis, et lente agentibus, laxantia crebriora, ne impuritates, his emollientibus motae, ad viſcera nobiliora deferantur. In laeſis actionibus animalibus non ſolum epiſpaſtica Noſter adhibuit; ſed et praeterea caput, capillis detonſis, fermento panis non fruſtra inuoluit. Infantili aetati morbus nec adeo infeſtabat, nec adeo diu durabat: ac, cum ſaepe in hac aetate accedebat haemorrhagia narium, non tam crebro exhibuit laxantia, quae illam cum maxima noxa turbare, quin imo ſiſtere potuiſſent. Circa finem huius morbi in multis obſeruauit pelliculam ſalinam granuloſam, interdum ſedimentum rubellum. Porro et exanthematis vidit leuatos fuiſſe aegros.

p. 44. Inter cauſſas huius morbi refert Noſter aeris viciſſitudinem et impuritatem, nec non victus deprauationem, quin interdum boni defectum.

p. 61. Puerperarum morbus cernitur in depoſitione lactea in abdomine, qui cum eo, a b. VAN SWIETEN *) deſcripto, conuenit. Vterus nimirum poſt partum remanebat durus et tumebat, cum

*) v. EIVSD. comm. in aphor. BOERHAAVII Tom. IV. p. 505. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 407.

cum doloris ſenſu, lochiorum ſuppreſſo fluxu, diarrhoea, aeſtu, ſiti et cute humida, capitisque dolore. Abdomen tertio et quarto die nimis tumidum, et tenſum verſus diaphragma, omnino dolebat et mammae inueniebantur flaccidae. Die ſexto et ſeptimo ita increſcebant haec ſymptomata, vt hic interimerentur.

Abdomine aperto, reperiebatur pſeudomembrana ex caſeoſa lactea materia (*Laab*), quae omnia omnino viſcera abdominalia eodem modo, quo omentum, obtegebat. Serum lactis autem in abdomine diffuſum erat. In quibusdam et illud ſpectabatur in thorace. Alia atque alia viſcera erant inflammata, et vterus in nonnullis ſphacelo tactus. p. 64.

Ab initio hic morbus pro inflammatorio habebatur, atque ita venaeſectione cet. tractabatur; Sed, morbo hic accuratius examinato, in cadaueribus, ſuaſu Cl. STOERCK venaeſectio omittebatur et camphora in magna doſi cum cortice Peruviano exhibebatur, nec non in clysmatibus; quae componebantur ex drachma vna camphorae, cum gummi arabici duabus trita, et octo vnciis iuſculi tenuis immixta, et ano immiſſa; quod tam diu uam diu fieri poteſt, ibi retinere aegrum oportet. Atque ita plus, quam quadraginta conſeruauit. p. 66.

X.

Recueil d'obſervations de médécine des hôpitaux militaires. Fait et rédigé par Mr. RICHARD DE HAVTESIERCK Ecuyer, Chevalier de l'Ordre de St. Michel; ancien Prémier-Médécin des camps et armées du Roi; Inſpecteur général des Hôpitaux militaires de France, ayant la correſpondance des mêmes Hôpitaux et des autres du Royaume, où l'on reçoit des ſoldats malades; Médécin-conſultant du Roi, et ordinaire des grande et petite Ecuries; de l'Univerſité de Montpellier, et des Académies de Gottingue et de Beſiers. Tome ſecond. A Paris, de l'imprimerie royale. 1772. 4. Alph. 4. plagg. 7. Praefatio et elenchus capitum plagg. 4.

i. e.

Collectio obſeruationum medicarum, ex nosocomiis militaribus facta, et in ordinem redacta a Cl. RICHARD DE HAVTESIERCK. Tomus ſecundus.

p. 1. Idea ſecundi huius tomi eadem eſt, quae prioris, cuius recenſionem alio tempore exhibuimus *): in eo tamen ordinem nonnihil mutauit Cl. RICHARD, quod ſingulos tractatus pro ſubiectorum, conuenientia et affinitate combinauerit et inde tredecim capita conſtituerit, quae nunc, iisdem, vt in priore tomo, legibus ſeruatis, indicabimus.

Caput primum commentarios topographico medicos ſiſtit, nimirum

D

*) comm. horum Vol. XVI. p. 88 ſeqq.

*De ſolo, incolis et morbis Alſatiae*, Auctore Cl. RENAVDIN. p. 6.

*De ſitu, aere et aquis vrbis Perpiniaci* (Perpignan, *et comitatus Ruſcinonenſis* (Rouſſillon), Auctore Cl. BONAFOS. p. 49.

*De ſolo, aere et aquis vrbis Caleti* (Calais) *et regionis eiusdem* (Calaiſis), Auctore Cl. DAIGNAN. p. 64.

*Hiſtoriam medico topographicam vrbis Montelimarti in Delphinatu*, Auctore Cl. MENVRET. p. 121.

Caput ſecundum obſeruationibus meteorologicis dicatum eſt; ſed nullas, niſi eas continet, quas Cl. DE LASSE' Atrebati per integrum annum, nempe ab octobri 1770. vſque ad ſeptembrem 1771. inſtituit. p. 191. p. 193.

Caput tertium morbos epidemicos continet. Primo loco Cl. BONCERF febrem putridam malignam cum purpura coniunctam deſcribit, quae 1764. in vico *Angeruille*, prope Stampas graſſata eſt: ortum debebat aeri, a putrefactis cadaveribus infecto, itemque eſui animalium, morbo iam affectorum, et cerealium, humido tempore collectorum, neque ſiccatorum: remotis his cauſſis vniuerſalibus multum miteſcebat; de reliquo autem in principio vomitoria et poſtmodum laxantia ex acidulorum claſſe, (venae ſectionem non, niſi in ſubiectis plethoricis, et quum intolerabilis capitis dolor vrgeret, ac ne tunc quidem absque cautione), poſtmodum acida vegetabilia et mineralia, cum regimine diaphoretico, adiuncto, vbi opus erat, kermes minerali, requirebat. p. 217. p. 223.

Pertinacior et grauior eadem febris fuit, quae ex deſcriptione Cl. BONNEVAVLT, per octo integros menſes anni 1766. Arboſii (*Arbois*) p. 228.

in comitatu Burgundiae (*Franche - Comté*) potiſſimum inter inferioris ſortis homines ſaeuiit; cui tamen purpura non ſuperuenit: vermes eidem iungebantur: praeter conſueta remedia acetum camphoratum viribus cardiacis et antiſepticis maxime ſe commendauit.

p. 231. Amplior eſt deſcriptio morbi epidemici, cuius curam in noſocomio Montelimartenſi Cl. MENVRET anno 1767 habuit. Erat pleuritis cum febre putrida verminoſa complicata, cuius cauſſae in praecedente autumno humido atque hyeme intenſius frigido, et improuido vſu animalium, morbo epidemico aegrotantium, quaerendae erant; ſubſequente autem vere euanuit: remediis, aduerſus vtrumque morbum directis, in vſum vocatis, licet periculoſior videretur, tamen feliciter plerumque ceſſit.

p. 259. Cl. DE LOISY morbos epidemicos deſcribit, qui eodem anno Cabilloni (*Challon - ſur - Saône*) graſſati ſunt, et quos ab eodem intenſiore frigoris praegreſſi gradu deriuat. Vernali tempore morbi inflammatorii faucium, febre acuta ſtipati, cui frequenter eruptiones cutaneae, non tamen criticae, imo ipſa purpura ſuperueniebant, maxime communes erant, et potiſſimum infantibus infeſti; lenioribus tamen medicamentis refrigerantibus, diluentibus, humectantibus, optime ſuperabantur, raro, nec niſi in adultis, venae ſectione neceſſaria: calidiore contra medicina exaſperabantur. Autumno vero iidem morbi ſenſim ſenſimque in febres putridae indolis tranſibant, easque graviores, horrendis interdum ſymptomatibus comitatas, et vltra quinquageſimum ſaepe diem durantes; neque tamen et hae, modo conuenienter tractarentur, adeo inſignem ſtragem ediderunt, licet ſummum omnino periculum portendere viderentur.

tur. Sanguinis missio vel inutilis erat, vel adeo noxia: summa ex aduersa parte vomitoriorum necessitas: laxantia, ne leniſſimis quidem exceptis, morbum exacerbabant. In leuiore morbi gradu sola diluentia, refrigerantia, leniter resoluentia sufficiebant; grauior autem vesicatoria et cardiaca, praecipue camphoram, postulabat. Crisis manifesta numquam morbum soluebat, vndetam diuturna eius duratio; versus finem tamen transpiratio paullum aucta obseruabatur.

Cl. DUFOT de morbis epidemicis disserit, p. 272
quos per annos 1766-1770. in pago Laodunensi (*le Laonnois*) obseruauit. Omnes ad febres putridas vel solas, vel simul inflammatorias pertinebant, licet diuersas formas assumerent; omnes etiam eodem fere modo tractauit, a venaesectione prorsus abstinens, vomitum ope tartari emetici primo cum sale Epsamensi, postea cum decocto ipecacuanhae in largo vehiculo sumti, ciens, et postmodum, seruato regimine antiphlogistico, si quid amplius requirebatur auxilii, in cortice Peruviano, nunc solo, nunc cum camphora, nunc cum sale ammoniaco, nunc cum rheo, plerumque in infuso vinoso subsistens.

Progredimur ad caput quartum, quod de crisi- p. 286.
bus et metastasibus agit. Praemissis nonnullis generalioribus, quae hanc doctrinam spectant, obseruationes variorum medicorum enarrantur, quas breuiter repetemus. Infans sexennis post febrem acutam cum dolore in femore dextro correptus est abscessu sub axilla eiusdem lateris, cuius aperturae cum parentes repugnarent, pus resorptum aegrum in summum periculum coniecit; donec idem per vrinam vltra tres menses excerneretur, isque nullis in omni morbo adhibitis remediis, sanitati restitueretur. Miles pleuro-peripneumonia laborans, cum

recrudeſcente paroxysmo ex pede ſanguis detracta eſſet, vrina ſanguinolenta, per tres dies miſſa, ſanatus eſt. Alius, cui in febre tertiana vena ſecta et emeticum exhibitum fuerat, diſparente protinus febre, paralyſi linguae et aſperae arteriae corripiebatur; emetica, draſtica et clyſteres ſtimulantes, licet efficaciter agerent, tamen vſu carebant; ſed ſternutatorium ex maiorana et helleboro albo, et maſticatorium ex pipere albo, ingens materiae ſoroſae effluuium praeſtabant, et vna cum veſicatorio nuchae applicato, curationem abſoluebant. Decubitus fiſtuloſus ad anum in viro viginti ſeptem annorum febrem acutam cum exſcreatione materiae purulentae ſuſtulit. Leucophlegmatiae, ipſiusque adeo anaſarcae curationes, per febrem intermittentem, ſponte accedentem, praeſtitae, morbo iam per diureſin, iam per ſudorem ſublato. Vir viginti duorum annorum, poſt ſuppreſſos tumores ſubauillares ſcrophuloſos, inflammatione pectoris capiebatur, quam icterus vniuerſalis, amauroſis, dolores inteſtinorum et vomitus continuus inſequebantur: tandem decubitus fiebat in epigaſtrio dextro, cum paralyſi extremitatum inferiorum; maturantibus autem applicatis, tumor eo deductus eſt, vt aperiri poſſet: quo facto, ingenti copiae puris cum materia nigricante ſeu ſanguinolenta exitus factus et aeger ſanitati priſtinae ſucceſſiue reſtitutus eſt. In ſexagenario, poſt apertum abſceſſum in digito minimo manus ſiniſtrae, retentio vrinae acceſſit, vbi catheteris ope vrina nigra et corrupta educta eſt; ſuperſtite tamen paralyſi veſicae ſatis pertinaci, nec niſi ſucceſſu temporis cedente: Cl. MOVBLET, obſeruationis huius auctor, explicationem ſe plane ignorare fatetur; Cl. RICHARD autem hanc mutationem conſenſui neruorum tribuendam putat. Febris tertiana pertinaciſſima, omnibus adhi-

adhibitis remediis obſurdeſcens, non, niſi reuocata per vſum decoctorum aliorumque reſoluentium ſcabie, quae antea intempeſtiue repulſa fuerat, recedebat. Eques deſultorius a vulnere gladio inflicto, febre inflammatoria corripiebatur, quae ob neglectum regimen in putridam degenerabat: poſt varias mutationes veſperi quadrageſimi diei dolor in femore percipiebatur; ſuccedentibus paullo poſt fluctuationis indiciis, abſceſſus incidebatur, detegeturque faſcia lata prorſus ſphacelo corrupta: quibus autem adhibitis remediis internis aeque ac externis curatio perfecte ſuccedebat. Triſtior erat metaſtaſis in alio milite, qui angina inflammatoria laborabat, quae nocte inter quartum et quintum morbi diem in pectoris oppreſſionem et colicam tranſiens ſeptimo die aegrum iugulabat.

Caput quintum de morbis cutaneis, ſcabie cet. retropulſis diſſerit. Cur haec vitia noſtris temporis adeo communia ſint, inde forte pendere exiſtimat Cl. RICHARD, quod virus venereum nunc male corrigatur, et praeſentis ſeculi viuendi ratio humores, acriores redditos, facilius ad cutim debilitatam amandet. Adductae obſeruationes variorum auctorum morbos periculoſiſſimos, a repreſſa ſcabie ortos, enumerant, v. c. febres acutas, inflammatorias, hydropis varias ſpecies, aſthma, haemoptoen, phthiſin, cariem coſtarum et ſterni cet. qui, quod optimum erat, ſcabie quocumque modo reuocata; interdum etiam ſine eius recurſu, ſanationem admiſerunt; nonnunquam tamen, omnibus incaſſum tentatis, aegros miſere confecerunt. p. 308.

Caput ſextum obſeruationes de morbis hepatis, ſimili modo collectas, ſiſtit. Occurrunt hic varia p. 329.

exempla abſceſſuum ad hepar, felici euentu curatorum; calculus veſiculae felleae poſt cholerum enatus, ſaluo tamen aegro per inteſtinum rectum excretus; nonnulla exempla noxae ex abuſu potus ſpirituoſi, variis mutationibus viſcerum abdominalium conſpicuae, inprimis hepatis, quod in vno ſubiecto 26, in alio 6 librarum pondus habuit: in alio multis tuberculis ſcirrhoſis obſitum conſpectum eſt (in vno tamen horum aegrorum culpa quaedam pars in improuidum corticis Peruuiani vſum, quo quartana repulſa fuit, coniici debet); icterus, et in alio ſubiecto abſceſſus ad hepar, hoſionibus capitis ſuperuenientes, abſceſſus in parte ſuperiori, poſteriori et conuexa hepatis, eroſo diaphragmate pus in pectoris cauitatem effundens; tandemque peculiaris quidam morbus, hydrops bilioſi et purulenti nomine, a Cl. DV BOVCHER inſignitus, in femina viginti annorum obſervatus, quae hepatitide affecta, quinta hebdomade fluctuationis in abdomine indicia prodidit, vnde, ter intra paucos dies paracenteſis inſtituta, et ingens copia materiae flauae et craſſae educta eſt: poſt decem menſes, iterum tumeſcente abdomine, eadem operatio repetebatur; febre vero hectica ſuperueniente, res in deterius ruere videbantur: quum autem decimo quarto morbi menſe ſeptima vice paracenteſin ſuſtinuiſſet, eaque pus foetidiſſimum vna cum materia bilioſa, ſed vtrumque non inter ſe commixtum, reddidiſſet, abſceſſu ad vmbilicum formato et ſponte rupto vsque ad decimum ſeptimum menſem eiusdem indolis materiae exierunt, quam criſin excepit profluuium alui, eiusdem indolis, quo mediante ſimul partes membranaceae, ambitus aliquot pollicum, coloris ex rubro flaueſcentis, excretae fuerunt; duobus elapſis menſibus, ſcabioſa eruptio, totum corpus obtegens, morbum feliciſſime terminauit.

Caput

Caput ſeptimum de hydrope agit. Prolixe p. 360.
ſitis Cl. RICHARD demonſtrat, morbum hunc
deo ſaepe omnem curationem reſpuere, quod
medentes tantum euacuantibus reſoluentibusque
inſiſtant, primae morbi originis, ab obſtructis aut
ſpaſtice contractis vaſis minimis pendentis, nulla
plane ratione habita; ideoque humectantibus prae
reliquis opus eſſe, quibus ſi valentiori medicinae
viae patulae redditae ſint, omnia melius progreſ-
ſura eſſe. Quod et copioſae obſeruationes adiun-
ctae probant; ex quibus praeterea memorabilis viſa
eſt ea, quae Cl. BONAFOS debetur, de duobus
militibus hydropicis, ſolo ſucco taraxaci reſtitutis;
porro hydrops aſcites, a plethora ortus, quem
Cl. DVTIL potiſſimum repetita ſanguinis miſſio-
ne ſuſtulit; oedema, in corpore gibberoſo itidem
ab intercepto humorum circulo ortum, eodem
modo curatum, quo, cum poſt annum rediiſſet, et
alius medicus auxilio priori vti noluiſſet, aeger mor-
tuus eſt, et cor mirae magnitudinis et capacitatis ob-
tulit; aſcites pleuritidem ſecutus, paracenteſi et
diaeta lactea curatus; exemplum feminae, quae, in-
tra duos annos cum dimidio, ſexageſies paracenteſin
ſubſtinuit, et hoc auxilio ſenſim medicinae locum
parante tandem reſtituta eſt; hydrops aſcites in
ſene 79 annorum vomitu curatus; idemque mor-
bus in milite ſublatus, in quo vectio in curru,
cum vna cum aliis aegrotis in alium locum defer-
retur, primum curationis initium fecit. Multae
hic enarratae curationes peractae ſunt pilulis qui-
busdam tonicis, a Cl. BACHER iam anno 1731
in vſum vocatis, quarum vtilitatem filius eius pe-
culiari iam libello *) depraedicauit, (in quo etiam
vſum

*) Expoſition des différens moyens vſités dans le trai-
tément des hydropiſies. à Paris, 1771.

vſum humectantium, in hoc morbo ſummis laudibus extollit), et multorum medicorum teſtimonia qui iuſſu regis in noſocomiis militaribus experimenta cum hoc remedio inſtituerant, adduxit. Huius iam remedii compoſitionem, qualem Cl. BACHER exhibuit, nunc Cl. RICHARD publici iuris facit: conſtant ex radicis hellebori nigri extracto quod paratur, radicibus prius cum ſpiritu vini alkaliſato maceratis, poſtea cum vino rhenano optimae notae digeſtis, dein extracto in aqua ſolutum, rurſus inſpiſſato et addito tantillo ſpiritus vini optimi in extracti conſiſtentiam redacto; huius extracti vnciae vni adduntur ſimilis portio myrrhae, in aqua lento igne ſolutae, et ad extracti conſiſtentiam inſpiſſatae, et ſcrupuli decem pulueris foliorum cardui benedicti, vt maſſa exiſtat libero aere ſiccanda et in pilulas, ſingulam grani dimidii, formanda. Harum pilularum effectus, praemiſſis humectantibus, eorumque vſu adiuncto, cernitur potiſſimum in purgatione aluina et diureſi mouenda: vſum etiam aliquem earum eſſe poſſe in pituitoſis pectoris morbis, obſeruatio quaedam, Cl. DAIGNAN ſperare iubet; exulare autem debent, vbi nimia ſiccitas, aut putredo, aut gangraena adeſſe conſpiciuntur: multum praeterea in dosi et tempore exhibendi prudentiae requiri, quisque facile perſpicit.

p. 443. Caput octauum varias obſeruationes de morbis conuulſiuis et verminoſis continet. Puella octo annorum, epileptica, vſu infuſi concentrati galli lutei et ſuperueniente febre tertiana curata eſt; alia vndecim annorum, chorea S. Viti laborans, ſolis emollientibus et demulcentibus clyſmatibus et balneis pauciſſimis antiſpaſmodicis, proprie ſic dictis, in vſum vocatis: alia ſeptendecim annorum, eodem morbo

morbo laborans, vomitoriis, purgantibusque repetitis, tandem tonicis et antiſpaſmodicis, cumque conualeſceret, frequenti ſanguinis miſſione, qua eadem menſtruus fluxus prouocatus, ſanitati prorſus reſtituta eſt: qua occaſione ſimul Cl. MADIER monet, caſtoreo tripla doſi opio addito, hoc vere corrigi; neutiquam tamen imminuta eius virtute, si tria opii nouemque caſtorei grana, ſpiritu vini diſſoluta, et aquae tepidae admixta in inteſtinum rectum iniecta, praeſentiſſimum anodynum ſiſtere, quum opiata ventriculum offendant. Pleuritis, opii abuſu in paraphrenitidem tranſiens, copioſis et ſubito repetitis venae ſectionibus, kermes mineralis in ſucco borraginis, quod ſudor vehemens et diarrhoea bilioſa inſequebantur, et demum lacte vaccino cum infuſo hyperici remiſto tollebatur. Piſtores morbo quodam ſingulari, aſthmatis ſpecie, laborant, in quo venaeſectio aperte nocet; tuſſi autem per potionem ſtimulantem ex ſpiritu ſalis ammoniaci, floribus benzoes, ſyrupo de eryſimo et aquis deſtillatis excitata, reiiciuntur glomeres, ex muco et farina compacti, bronchia obſtruendo morbi cauſſam ſiſtentes. Podagricus, a peripneumonia conualeſcens, grauiter iratus conuulſionibus letalibus corripiebatur. Miles vomitu continuo, ſingultu et conuulſionibus iam ad incitas redactus, potione anthelmintica et purgante ſeptem vermes viuos, longitudinis ab octo ad duodecim pollices, vomitu reddidit et ſanatus eſt. In alio nauta epilepſia vehementiſſima producta eſt, a verme pedis longitudine, qui etiam vomitu viuus reiectus eſt. Iuuenis tredecim circa annorum per vndecim dies conuulſionibus affectus eſt, quae omnibus remediis obſurdeſcebant; tamen vſque ad articulum mortis ſonis inſtrumentorum muſicorum mitigabantur. Secto cadauere in confiniis ilei et craſſorum inteſtino-

ſtinorum ſeptem vermes, longitudinis tertiae partis brachii, conſpiciebantur: qui irritando inflammationem inteſtinorum produxerant; ſimilis etiam fuit agone egreſſus erat. In alio viro, colica, 24 horas durante, exſtincto 367 vermes, quinque ad ſex pollices longi et craſſitie calami ſcriptorii, inuenti ſunt, in glomerem conuoluti, qui inferiorem coli partem et coecum prorſus replebant; his ipſis inteſtinis ſimul inflammatis et gangraenoſis. Miles quidam paralyſi linguae affectus et vocis exercitio deſtitutus, adminiſtrato emetico valentiore, multos vermes eiecit, et continuato purgantium cum anthelminticis coniunctorum vſu, perfecte conualuit. Virgo melancholica et conuulſionibus tentata ſanata ſim plus quam tria millia vermium cucurbitinorum per anum eiecit, et hoc morbo liberata ſanitatem recuperauit. Cephalaea enormis, vermiculo, per ſternutationem reiecto, ſanata. Poſt febrem putridam verminoſam in abdomine inuentum eſt ſerum flaueſcens, in quo vermes duo natabant, tertiusque iam perforato ileo in eo erat, vt prioribus ſe aſſociaret; in eodem inteſtino erat voluulus, et in omnibus tenuibus excoriationes manifeſtae, iisdem animalibus adſcribendae.

p. 487. Caput nonum de morbis oeſophagi, ventriculi et inteſtinorum agit. Primo de angina inflammatoria, per ſanguinis miſſiones copioſas, clyſteres emollientes et interpoſitos purgantes, veſicatorium nuchae impoſitum, emplaſtra emollientia, et, quam primum licebat, gargariſmata ſtimulantia oppugnata, quam poſtea abſceſſus in anteriore colli parte felicem ad finem perduxit. Porro de deglutito fruſtulo carnis male coctae, cuius detruſionem ope linteoli virgae balaenariae affixi fruſtra tentauerant, imo ipſum linteolum in oeſophago reli-

reliquerant; febre iam exacerbata, ſanguis aliquoties detractus et topica emollientia applicata ſunt: poſtea, exhibita potione oleoſa emetica, excitatus vomitus corpora peregrina expreſſit et ſanitas rediit. Intempeſtiue ſumtum emeticum choleram produxit, quam diluentia, refrigerantia, acidula potulenta, adhibitis ſimul clyſmatibus et fomentis emollientibus, aegre ſuſtulerunt. Noxii effectus acidorum mineralium concentratorum: in puella oeſophagus, et ventriculus, vſque ad pylorum, gangraenoſi; in alia virgine, quae tardius occubuerat, hinc inde in iisdem partibus vlcera, et in trium digitorum a pyloro diſtantia foramen, per quod ouum tranſire poſſet, inuenta ſunt: miles autem, qui poſt duo minuta ſpiritum nitri vomitu reddiderat, denique ſine apparente laeſione oeſophagi vel ventriculi reſtitutus eſt, poſtquam omnium dentium iacturam feciſſet. Vomitus continuus materiae, cauſtici acrimonia praeditae, ſolius lactis vſu curatus eſt, contra quem omnis generis remedia nihil praeſtiterant. Scirrhoſae pylori indurationes, vomitus habitualis cauſſae. Nuclei ceraſorum et prunorum, coecum obturantes, in vno aegro, qui, globulis aliquot plumbeis deglutitis, ſine dubio obſtaculum, in inteſtinis haerens, ſe vincere poſſe exiſtimauerat; hoc inteſtinum cum proxima ilei et coli parte inflammauerunt, et harum partium, coalitum effecerunt, conſpicuis ſimul multis tuberculis ſcirrhoſis, et inſigni puris copia in cauitate contenta; in alio inſignem tumorem cum aſcite coniunctum, qui poſt decem menſes mortem induxit. De colica pictorum ſeu ſaturnina, et de colica vegetabili Pictonum, cuius egregiam deſcriptionem Cl. BONTE' exhibuit *): magna vtriuſque inter ſe conuenientia eſt,

*) vid. Comm. horum Vol. XII. p. 651 ſeqq.

eſt, cum ratione mutationum, quas cauſſae licet omnino inter ſe diuerſae in corpore producunt, tum ratione curationis, quae potiſſimum euacuantia primarum viarum, at valentiora, requirit (lenera enim ſolida non ſatis viuide ſtimulant, quod tamen opus eſt, quo materiam adeo denſe ſibi inhaerentem expellant) interpoſitis anodynis: recidiua potiſſimum inde pendere ſolent, ſi morbus ſolis euacuantibus lenioribus impugnetur: venaeſectio rariſſime locum habet, et ſaepe paralyſin inducit; ſummum et certiſſimum remedium in mutatione ſoli et aeris poſitum eſt, quae ſaepe ſola paralyſin relictam tollit.

p. 517. Caput decimum de iuſto et iniuſto vſu corticis Peruuiani agit. Improuide vſurpatus aduerſus febres intermittentes, antequam primae vel ſecundae etiam viae ſufficienter euacuatae eſſent (vomitorio vix vnquam ſuperſederi poteſt in eiusmodi febribus) cachexiam, icterum, hydropem, pleuritidem, et mirando ſane exemplo loquelae priuationem cum oppreſſione pectoris induxit: epidemica etiam tertiana eiusdem vſum prorſus non tulit; quae tamen ſola ptiſana ex cichoreo et ſale mirabili GLAVBERI profligebatur: ceterum eius virtus antiſeptica duobus exemplis gangraenae cruris et carbunculorum in digito exortorum demonſtratur.

p. 533. Caput vndecimum morbos quosdam chirurgicos recenſet. Primo obſeruationes Cl. SIMON, de carie tibiae, trepanatione in parte ſuperiori et inferiori faciei internae, longa quidem, ſed felici curatione ſanatae; de fractura complicata tibiae, in qua cum ſuperior fracti oſſis pars ſemper ſurſum tenderet, nec tamen apte ſerra reſcindi poſſet, eam peculiari arcula et torculari Petitiano depreſſit et

coalitionem praeſtitit: de exſtirpato tumore cyſtico, cranio inſidente, cuius futuram exfoliationem, ne caries ſubſequeretur, perforando adiuuit: de reſtituto motu digitorum, a cicatrice poſt acceptum vulnus ſublato, ita quidem, vt liber vſus manus redderetur. Cl. PETIT, noſocomii Heſdinenſis chirurgus, de equite, in quo a caſu ab alto pericranium ſolutum fuerat, quique, trepanationi iam ſubiiciendus, multum ſanguinis et puris per aurem reddidit, crebrisque adhibitis venaeſectionibus et ſeuero regimine, 43 dierum ſpatio conualuit: et de alio, qui ab equo deiectus et calcitratus, adhibito trepano et ingenti ſanguinis, duram matrem comprimentis, et fragmentorum oſſis copia remota, ſanatus eſt. Cl. FONPERINNE de alio milite, qui ab ictu acinacis enorme vulnus ſuper oculo dextro contraxerat, in quo, cum portio oſſis coronalis ſponte decederet, trepanationi ſuperſederi poſſe putabatur; ſymptomatibus tamen increſcentibus, eadem inſtituta et per diſciſſam duram matrem ſemper ſub deligando parte quadam cerebri, quam ad vnciam integram aeſtimabant, egreſſa, aeger poſt 95 dies reſtitutus eſt. Cl. MOISSIER in femina, cuius abdomen a boue cornibus vulneratum erat, inteſtino colo ſimul gangraena affecto, ſcarifationibus aliisque auxiliis aduerſus gangraenam, et gaſtrorraphia curationem praeſtitit, licet per ipſum morbi decurſum aegra clam radicibus ſolani tuberoſi veſceretur. Cl. PEYSSON in ſene ſeptuaginta fere annorum herniam inguinalem, a violento motu exortam, incarceratam, aegro operationem abhorrente, poſt ſex dies ſuppuratione, per rupturam abſceſſus leuata, curatam vidit. Cl. LONGIS de hernia veſicae, qua ipſius filius laborauit: dolor erat in reddenda vrina, quae non, niſi guttatim effluebat, ad apicem glandis potiſſimum inſignis, cum

tumore in inguine ſiniſtro, enterocelen mentito, qui facile reponi ſe patiebatur, ſed ſubito redibat, et repoſitus vrinae excretionem liberam reddebat: eo tempore, quo hiſtoria morbi huius conſcribebatur, morbus nondum penitus ſublatus erat; cuius tamen ſpem alebat Cl. LONGIS, interea infante in latus dextrum collocato, vrina ope cannulae extracta et compreſſionibus modicis adhibitis, ſtrictaque diaeta ſeruata. Idem exemplum recenſet iuuenis, qui teſticulum, frigore tactum, ſibi ipſi nouacula reſcidit, et licet inprimis haemorrhagia ex diſciſſa arteria ſpermatica grauia ſymptomata produceret; tamen intra menſem ita curatus eſt, vt inito poſtea matrimonio, liberos procrearet. Cl. LE RICHE militem, ab imprudenti vſu emetici hernia inguinali affectum, in qua inteſtina incarcerata gangraena corrumpebantur, operatione chirurgica et exhibitis laxantibus ex manna, in ſero lactis ſoluta, et adiuncto oleo amygdalarum dulcium, intra duos menſes reſtituit. Exempla nonnulla curationum vlcerum cancroſorum, per cataplaſma ex radicibus dauci triturati, ad mentem Cl. SVLZER *) praeſtitarum per Cl. DENIS. Idem in infante recens nato digitos coalitos, et membrana ſatis denſa obductos, vidit: cum poſt aliquod tempus infans ſufficiens robur acquiſiuiſſet, vt operationi ſubiici poſſet, eadem ſatis bene cedere videbatur; ſed interea infans ex indigeſtione mortuus eſt. Cl. BOUILLARD de mucrone gladii duo et dimidium pollices longo, qui per longum tempus intra oſſa cubiti delituerat, ac demum extractus erat: ſubſequens curatio tamen debilitatem quandam et difficultatem motus reliquit; de hypopyo, per inciſionem infimae partis corneae, eiusdem indolis, vt in cataracta fieri ſolet, cura-

*) vid. Comm. horum Vol. XVI. p. 71.

curato; de hemeralopia in nonnullis militibus, qui ſub dio, facie verſus ſolem directa, obdormiuerant, methodo Cl. FOURNIER *) curata. Eundem morbum Cl. BRIDAULT anno 1762 frequenter in militibus legionis pedeſtris Carnutenſis (*Chartres*) obſeruauit, quae ſola eiusmodi aegros obtulit, quinque aliis, quae vna in inſula Oliaro (*Oleron*) praeſidio eſſent, immunibus: quod inde pendere videtur, quod haec legio ſtationem in oppido S. Martini inſulae Radis (*Rée*) tenebat, multis ibi laboribus fatigata: veſicatoriis ſine fructu vſurpatis, Cl. BRIDAULT extractum cicutae bis de die, a grani doſi incipiens, et vsque ad integram drachmam de die aſcendens, ſummo cum vſu adhibuit: eodem etiam remedio polypum narium ſanauit, et cataplaſmate ex dauco, ſupra memorato, cancrum faciei ſuſtulit in femina, quae ob inopiam ne diaeteticum quidem regimen ſeruare, multo minus internis remediis curationem iuuare poſſet. Cl. ROCHARD de hemeralopia, communi in Caloneſo (*Belle-isle*) morbo, a ſuppreſſa tranſpiratione orto, et Cl. FOURNIER methodo tractando; de tumore tunicato ſub axilla dextra, qui inciſus, pure euacuato, folliculoque ipſo ſubſequente curatus eſt. Poſtremo Cl. BOURIENNE de effectibus punturae araneae cuiusdam, in Corſica habitantis, quae ab incolis *Marmignato* dicitur, magnitudine et figura tarantulae ſimilis, maculis octo flaueſcentibus in dorſo notata: quindecim milites ab ea puncti ſubito dolorem immenſum per totum corpus ſentiebant, qui adeo inceſſum perhibebat, quem ſtupor inſignis potiſſimum in articulationibus ſubſequebatur, cum idea, ſe a canibus rabidis deuorari; locus punctiurae in aliis prorſus non patebat, in aliis



*) vid. Comm. horum Vol. VII. p. 216.

leui rubore se prodebat, facies inflammata, oculi ardentes, calor ingens per totum corpus, cutis ardens, sed ad sudores propensa; pulsus tamen fere naturalis. Scarificationes profundae ad locum laesum, oleum tepidum hyperici illitum, et sudor, curiosius obtecto in lecto corpore prouocatus, morbum intra tres vel quatuor dies tollebant; si vero locus non patebat, neque ergo scarificatio administrari poterat, idem diutius trahebatur. Versus finem extremitates inferiores petebat, et tunc pediluuia curationem accelerabant. Effectus punctuarae pro diuersitate tempestatum et partium laesarum variant. Indigenae venenum ab animali proiectum accusant; sed vna caussa in irritatione neruorum et aponeurosеon, ab aculeo facta, ponenda videtur. Saepe adeo remediis nimium calidis nocent: de reliquo calido fornaci aegros imponunt, et sudorem hoc modo, saepe salutarem, eliciunt.

p. 580. Progredimur ad caput duodecimum, in quo obseruationes anatomicae continentur. Varia exempla tristium effectuum, quos abusus potus spirituosi edit, nimirum lien ingentis magnitudinis, herniam vmbilicalem producens, cum ventriculo, duodeno, hepate, ligamento eius suspensorio, reliquisque proxime intestinis et peritonaeo coalitus; scirrhosus, superius gangraenosus, inferius in pus conuersus, vt alias mutationes morbosas taceamus: in alio subiecto idem viscus, sine praegressis signis inflammationis, gangraena in foetidissimam putrilaginem resolutum, subitae mortis caussa: in alio omentum adeo extensum, vt facile vsque ad mediam femoris vtriusque partem pertingeret, latitudinis ad minimum 22 pollicum, pinguedine crassa refertum et vasis sanguiferis, multum dilatatis, intestina tenuia gangraenosa, crassa contracta, membrana

brana externa in ſacculos peculiares, pingues et craſſos diuiſa; meſenterium craſſum, partim ſcirrhoſum, partim abſceſſu conſumtum; pancreas et lobus minor hepatis ſcirrhoſa; lien octo libras ponderans, coloris rubri, ſubſtantia hepati ſimilis, membranis conſiſtentiae cartilagineae, cellulis nulla ratione detegendis; ventriculus maxime contractus, liquorem bile tinctum continens: in alio veſica vrinaria totam fere regionem hygogaſtricam occupans, vaſis varicoſis conſpicua, calloſa, membrana interiore gangraenoſa, intus haerente liquore ſanguinolento plus, quam trium librarum: in alio pulmones ſphacelati, concretionibus lapideis repleti, hepar inflammatum, lien et meſenterium ſcirrhoſa, inteſtina gangraenoſa: in alio concretiones polypoſae in vaſis menyngum cerebri, ventriculo dextro cordis cet. in alio gangraena cardiae, ventriculi, inteſtinorum tenuium: in alio pulmo, pleura, mediaſtinum, pericardium, diaphragmatis pars carnoſa ſuppuratione tacta: in alio primae viae adeo contractae, vt per vltimos vitae dies nulla alimenta aſſumere poſſet aeger: in alio, qui ex ebrietate lethargicus obierat, ſinus longitudinalis ſanguine farctus, aqua in baſi cranii effuſa, cor ingentis voluminis, in auricula ſiniſtra polypoſa concretio, pulmones gangraenoſi, ventriculus et inteſtina tenuia inflata, gangraena et ſphacelo tacta, veſicula fellea ſolito maior, bile repleta, lien puſtulis albis obſitus. Miles 25 circiter annorum, a iuuentute aſthmate vehementiſſimo laborans, peripneumonia corripiebatur, et recidiuam eiusdem paſſus obibat, quam aſthmatis grauitatem non, niſi capite in pectus inclinato genubusque ad mentum fere eleuatis, mitigare quodammodo potuiſſet: cauſſam aſthmatis ſectio patefecit, nempe hepar inſolitae magnitudinis, per totam regionem

epigaſtricam extenſum et cum liene, itidem maiore naturali, coniunctum, vtroque viſcere arctiſſime cum diaphragmate coalito. In alio hepar ſcirrhoſum et ſuppuratione penitus conſumtum diaphragma, vsque ad tertiam et quartam coſtam veram ſurſum egerat, ſic, vt pulmones, prorſus ſiccati, vix diſtingui poſſent. Pericardium ictu gladii penitus, corde tamen illaeſo, perfoſſum, ſero ſanguinolento extrauaſato mirum in modum dilatatum, vt pulmones verſus poſteriorem partem thoracis reprimeret, poſt 45 dies mortem induxit, baſi cordis fere prorſus ſuppuratione deſtructa, quae etiam aortam et pulmonalem arteriam laeſerat. Hydrops pericardii in milite, phthiſi exſtincto, a Cl. DE HORNE obſeruatus, qui obſcuriſſimi huius morbi ſignum pathognomonicum in eo ponit, ſi cum frequenti palpitatione cordis, ſuffocatione habituali, debilitate et virium decremento pulſus parvus et durus coniungitur, et praecipue ſi aeger in alterutro latere decumbere nequit: paracenteſis vnum forte remedium; ſemper tamen anceps cenſeri debet. Idem vir Cl. anno 1755 Verduni peripneumoniam, inter milites graſſantem, obſeruauit, qualem anno ſuperiori Cl. BAGARD Nanceii itidem inter milites tractauerat, frequenter cum inflammatione cordis coniunctam, quod, ſectione facta, pericardium, purulenta materia repletum oſtendebat; cum fructu autem vtebatur in principio morbi crebris venaeſectionibus, poſtea largo potu decoctionis borraginis, adiuncto pauco nitro, et per interualla refracta doſi kermes mineralis; poſtmodum veſicatorio in ſuris, et prioribus medicamentis, addito oxymelite ſcillitico: raro morbus expectoratione, ſed plerumque lyſi ſolutus eſt. In alio milite, qui poſt morbum inflammatorium plerorumque viſcerum abdominalium 26

dierum

dierum mortuus erat, praecipuum momentum attentione dignum in quadam diſpoſitione ad riſum ſardonium conſiſtit, ex qua Cl. DE HORNE inflammationem diaphragmatis ſuſpicabatur, quod etiam ſectio cadaueris demonſtrauit. Alius doloribus vagis in pectore, cum aſthmate ſuffocante et vehementiſſima reſpirandi difficultate coniunctis, corripiebatur: poſt aliquot dies tumor intra ſeptimam et octauam coſtam dextri lateris apparebat, ex quo inciſo pus bonum effluebat; nihilominus tamen cum ſignis empyematis viribus exhauſtus, nullo vmquam febris indicio perſentiſcendo, periit. Mediaſtinum inueniebatur ſcirrhoſum, pleura in latere dextro cartilaginea, duplicaturam et ſaccum, liquore purulento plenum, formans, qui pulmones ſurſum preſſerat, ſuppuratione deſtructos, et ſub coſta ſeptima carioſa, ſinus ex abſceſſu olim aperto formatus, qui vsque ad vertebras et diaphragma progrediebatur; pericardium itidem cartilagineum, cordi intime accretum; auriculae cordis fere ſcirroſae; pulmo ſiniſter flaccidus, innatans liquori extrauaſato. In alio, phthiſi extincto, conſpiciebatur hepar, in quatuor lobos diuiſum, ingentis voluminis; lien paruus, in duas partes ſeparatus; veſicula fellea vacua, per ligamentum, quod colon et hepar coniungebat, in duas partes diuiſa; prolongatio ſeu appendix inteſtini ilei, trium pollicum longitudine: ex quo Cl. DE HORNE occaſionem nanciſcitur de improuido vſu globulorum plumbeorum, vel mercurii in affectibus colicis dehortandi. In hominis febre continua laborantis, cui poſtremo diarrhoea bilioſa colliquatiua ſuperuenerat, cadauere, bilis coloris pulueris nicotianae Hiſpanicae, hepar mole auctum eiusdem coloris, abſceſſus in ſubſtantia lienis, epiploon et pancreas prorſus fere deſtructa, pericardium ſero flaueſcente

repletum, cor pallidum et liuidum, inuenta sunt. In femina inteſtinum rectum incarceratum tympanitem letalem induxit. Stupendus effectus ingratorum animi affectuum in aegro, palpitationibus cordis ſubiecto: pericardium mirum in modum extenſum, aqua ſanguinolenta plenum; cor figurae prorſus rotundae; ventriculus vterque ad minimum libra dimidia ſanguinis oraſſi, nigri, praetereaque multis grumis ſanguinis plenus. Excrementa lapideae duritiei, calculorum biliariorum ad inſtar flammam alentia, quae inteſtinum ileum penitus obdurauerant, in iuuene morbum eiusdem nominis letalem producebant. Poſt febrem intermittentem, quae vltra 18 menſes neglecta fuerat, lien ſcirrhoſus tandem maraſmum lethalem induxit. viſceris huius pondus ſeptem, vel octo librarum inuentum eſt, ipſumque figurae informis, duabus eminentiis itidem ſcirrhoſis terminatae, quae figuram pedis bouini referebant. Tandem effectus letiferi plagarum, quae militi in caput et pectus inflictae fuerant: praeter fracturas et contuſiones, exterius in capite conſpicuas, apophyſes baſilares diffractae et os ſphenoideum et occipitale, a ſe invicem ſeparata erant, ſinus longitudinalis vacuus, laterales contra et omnia vaſa encephali ſanguine nigro ſpiſſo repleta; pulmones inflammati, ſuppurati; cor inflammatum, ventriculo anteriore grumis ſanguinis refertum; hepar magnum, bilis nigricantis ingens copia, inteſtina tenuia inflammata; vaſa ventriculi infarcta; lien putredine reſolutus; renes inflammati, pure repleti. Mirandum tamen, aegrum his laeſionibus, licet lethargo oppreſſum, tamen ad ſeptimum vsque diem ſuperviuere potuiſſe.

Longio-

Longiores fuimus in recenſendis iis, quae caput hoc complectitur, quum quisque vtilitatem facile perſpiciat, quae ex anatome practica in ipſorum morborum cognitionem illuſtrandam redundet. Breuiores nunc erimus in enarrando capite decimo tertio, quod hiſtoriam et analyſin aquarum medicatarum Luxonienſium ſiſtit, curioſiſſime conſcriptam et experimentis ſolertiſſimis ſuperſtructam, cum ea omnia, quae hic traduntur, in compendio exhibere a breuitate noſtra quam maxime alienum ſit: quare in potioribus ſolummodo momentis adducendis acquieſcendum nobis eſt. Cl. SENAC iam in commiſſis dederat viris Cll. VENEL et BAYEN, ſupremo in exercitu regio pharmacopoeo, vt omnes aquas medicatas, quae non exigua in copia per totum Galliae regnum reperiuntur, examinarent; neque hunc laborem fructu carituram eſſe, examen aquarum Selteranarum, a Cl. VENEL olim ſuſceptum *), ſperare iubebat: dolendumque omnino eſt, hoc opus, in medio curſu interruptum, ad finem nondum deduci potuiſſe. Interea, quum anno 1766 Cl. RICHARD iuberetur noſocomia militaria in tota meridionali Galliae parte luſtrare, iniuncta ſimul ei fuit disquiſitio et examinatio noſtrarum aquarum, ad quod opus laboris ſocium ſibi expetiit Cl. BAYEN, et ſic coniuncto ſtudio id effecerunt, cuius iam publice rationem reddunt. p. 633.

Aquae hae, veteribus iam ſub nomine *Tarbellianarum* notae (ſiquidem plura etiam tum monumenta Romanorum proſtant, quorum nonnulla hic deſcribuntur), ſcaturiunt in valle, quae verſus meridiem, ad quartam horae partem a Bagneneriis, in pago conuenarum (*le pays de Cominges*) p. 567.



*) vid. Comment. horum. Vol. VI. p. 503.

in regione montoſa, haud procul a Pyrenaeis montibus ſita eſt; vnde etiam vernaculum nomen (*Eaux de Bagnères-de-Luchon*) traxerunt. Vari adſunt fontes, qui eas ſuppeditant: nempe principalis, ex fundo cauernae proſiliens, quae extructa eſt in domo, ad recipiendos pauperes aedificata, isque *ſource de la Grotte* vocatus; thermometrum Reaumurianum in eo ad 52 gradus aſcendit; in eadem domo balnea inſtructa ſunt, vbi, ob nimium calorem, aqua, admiſtis aquis ceterorum fontium, temperatur, (quod tamen Noſtri reprobant, ſatius ducentes, aquam refrigerio expoſitam, ad iuſtum caloris gradum reducere): porro fons reginae, (*ſource de la Reine*,) haud procul a priore, ſubdio, inter ſtrata ſilicis ſimplicis micacei erumpens, caloris 39 graduum, itidem canalibus ligneis in balnea, prius nominata, ductus: ad huius latera ex ſtrato lapidis ſciſſilis fons tertius, ſub egreſſu ſuo in duas partes ſe diuidens, quorum altera, caloris 22 vsque ad 27 gradus, ob colorem fons albus, (*ſource blanche;*) altera caloris, 17 ad 21 graduum, fons frigidus, (*ſource froide,*) dicitur: et praeterea exiguus quidam, quem accolae ob frequentem in morbis oculorum vſum (*ſource aux yeux,*) nominant. In altero domus latere fons quidam conſpicuus eſt, qui a primo eius poſſeſſore (*ſource de la ſalle*) dicitur, ſed ad ipſum ex terra exortum obſeruari nequit: in peluim collectus calorem 35 graduum, nonnunquam etiam minorem, ſeruat. Haud procul ab hac ſcaturigine Noſtri aliam, olim iam detectam, intra lapides ſiliceos, et quarzoſos rurſus effodiendam curauerunt, quae immediate cum ea communicabat, et calorem 41 graduum, monſtrabat: in hoc labore, antequam ad aquam ipſam peruenirent, lapides omnes humidos, exterius efflorescentiis vitriolico aluminoſis conſperſos, et

profun-

profundius ligna, aqua hac impraegnata, deprehenderunt. Hae diuerſae ſcaturigines omnes, ſed diverſo gradu, odorem et ſaporem, hepati ſulphuris ſimilem, ſpargebant. Lapides iſti ex fragmentis, a montibus prope ſitis auulſis, exorti ſunt, et plerumque ex ſchiſto griſeo, intermiſtis fruſtis marmoris eiusdem coloris, et ſilicibus ſimplicibus micaceis conſtant; hi lapides comminuti etiam partem terrae conſtituunt: adſunt praeterea grana quaedam quarzi, et lapis arenoſus et ferruginoſus, mica conſperſus.

Succedit analyſis chemica aquarum, quae docet, iis ineſſe hepar ſulphuris ex natro ſeu alkali minerali et ſulphure compoſitum, ſalem mirabilem GLAVBERI, ſalem marinum, parcam portionem materiae pinguis, bituminis foſſilis nomine inſigniendae, et terrae vitreſcibilis; varia tamen horum ingredientium, pro varietate ſcaturiginum inter ſe proportione.

Eodem porro modo effloreſcentiae ſalinae, p. 603
prope ſcaturigines reperiundae, terrae et lapides, vicinae examinantur. Schiſtus ſupra memoratus duplicis indolis eſt, alter mica, alba et flaua repletus, alter eadem deſtitutus: terra, in interſtitiis horum lapidum haerens, itidem ſchiſtoſa eſt, multam micam continens; quae ex interiori et ex locis a fontibus humectatis educitur, caeruleſcit, et ſiccata griſeum colorem acquirit, odoremque, ac ſaporem hepatis ſulphuris, quem humida obtinet, perdit. Poſtquam autem aeri libero expoſita fuit, guſtum vitriolicum acquirit, et chemicis auxiliis tractata vitrioli et aluminis praeſentiam prodit, adeoque ipſae effloreſcentiae eadem principia cum ſelenite, ſed in diſpari proportione monſtrant; manifeſto indicio, has partes, non in aquis ipſis praeſentes, ſed extra eas productas eſſe.

eſſe. Eaſdem mutationes in lapidibus obſeruarunt Noſtri, ſicut etiam in incruſtationibus quibusdam, quae muros balneorum obtegebant; in quibus tamen, praeter vitriolum, alumen et ſelenitem, etiam ſalem, Sedlizenſi ſimillimum detexerunt. Haec omnia obiter tantum indicaſſe ſufficiat; tamen nonnulla excerpamus momenta, non adeo preſſe ad harum tantum aquarum examen pertinentia, ſed vniuerſam hanc ſcientiae naturalis partem illuſtrantia.

p. 699. Quum poſt diſquiſitionem quandam aquarum maſſa ſalina, bitumine tamen adhuc admiſto, relinqueretur; haec in aere libero humiditatem attrahebat: quod poſtmodum, calcinatione inſtituta, non amplius euenit, et elapſo ſatis magno temporis ſpatio ſal mirabilis, ſal marinus et alkali minerale inde producta ſunt: ex quo concludunt Noſtri, deliqueſcentiam nulli alii cauſſae, quam coniunctioni partis bituminoſae cum alkali minerali, adſcribendam eſſe.

p. 728. Mercurius in acido nitri ſolutus et per alkali fixum praecipitatus, ſi probe abluitur, et ad pondus vnciae vnius (menſurae gallicae), cum gr. XII florum ſulphuris triturando commiſcetur; in vaſe clauſo ſuper igne, cum maxima vi mouetur; vasque cum vehementi fragore diſrumpit; in cochleari ferreo igni expoſitus, poſt praegreſſum paucum fumum fulminat, et puluerem coloris, ex purpureo nigricantis relinquit, qui aqua deſtillata probe elutus, (et haec ſalinum principium ſuſcipit, ab alkali fixo in forma puluueris, nigri praecipitandum), et ſiccatus, in parua retorta, in pulcherrimam cinnabarin ſublimatur: ſimilia phaenomena praecipitatum, ex diſſolutione mercurii corroſiui, ope alkali fixi paratum, praebet.

Duae

Duae drachmae turpethi mineralis, non abluti, cum granis XXIIII carbonum, per triturationem coniunctae, retortae vitreae inditae et igni nudo expositae, dabant guttas aliquot phlegmatis, odorem penetrantem acidi sulphurei, drachmam vnam et gr. vj. mercurii resuscitati, in recipientem transeuntis, flores sulphuris in collo retortae, materiam nigram puluerulentam, quae cinnabarim nimio sulphure alienatum, vel aethiopem mineralem referebat, et partem verae et elegantis cinnabaris; capite mortuo 20 granorum, in fundo retortae relicto. p. 729.

Notamus adhuc, Nostros in Occitania inferiore, natrum seu alkali minerale ad ripam fluuii cuiusdam satis copiose inuenisse. p. 769.

Sub finem ex proprietatibus harum aquarum ipsarum virtutes resoluentes, roborantes, abstergentes et vulnerariae colliguntur, et morbi, in quibus internus aeque, ac externus earum vsus salutaris esse possit, recensentur.

Appendicis loco (sub peculiari paginarum numero) remedium quoddam, quod diu omnium attentionem in se traxit, publici iuris redditur: drageae KEYSERI. Hic nempe statutam pecuniae summam a rege accipiens formulam huius arcani in duobus exemplaribus sigillo munitis exscriptam exhibuit, quae Cll. viris SENAC et RICHARD tradebantur, non, nisi post mortem auctoris, aperienda: quae cum euenisset Cl. SENAC iam mortuo, Cl. RICHARD schedam sibi commissam iussu illustris Marchionis DE MONTEYNARD, cui suprema rerum militarium, cura credita est, aperuit et modum, in ea descriptum, orbi erudito communicat. Per longinquam operationem, (quam quidem mutari multum et contrahi posse Cl. RICHARD persuasum habet; nullum certe, harum rerum gnarum, sibi contradicturum inuenturus),

mercu-

mercurius viuus iterata lotione in aethiopem vertendus, poſtea addita calce viua deſtillandus, et in mercurium reducendus, dein calcinatione in calcem rubram vertendus, et ſic mutatus in aceto deſtillato ſoluendus eſt: haec ſolutio poſtmodum cum manna vel gummi arabico commiſcenda, et multiplici praeparatione paſta illa in drageas, ſeu pilulas formanda, Idem ille KEYSERVS varia momenta ſubiungit, quae ad illuſtrationem praeparationis remedii ſpectant, docetque, qua ratione varia alia inde elici remedia poſſint; pollicitus ſimul, ſe omnia, quae in horum remediorum vſu obſeruanda ſint, prolixe indicaturum; quod tamen, quantum nos quidem ſcimus, morte ſuperueniente oppreſſus, praeſtare non potuit.

## XI.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatschappye der weetenschappen te Haarlem XIII. Deel Pars I. Te Haarlem by I. Boſch 1771. Pars II. 1772. 8. Alph. 2. pll. 15. tab. aen. 1.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis. Vol. XIII. Pars I. II.

Societatem hanc, quo maior inde ex lectione horum commentariorum in lectores redundaret vtilitas, conſtituiſſe, indicem ſupra volumina prima duodecim generalem conficere, in quo quilibet commentarius, ſub quolibet doctrinae capite poſitus, in oculos quaerentium confeſtim incurreret, pateretque, in quonam volumine iſte contineretur, legi-

legimus. Iam in eo conficiendo elaboratur, et simulac confectus fuerit, cura et ſtudio huius Societatis tanquam ſupplementum prodibit.

1. Reſponſio Cl. BENI. CARRARD V.D.M. p. 1.
ad quaeſtionem, ab hac Societate propoſitam: *Quid ad artem obſeruandi requiratur, et quatenus ea perfectioni mentis proſpiciat?* Ex ampla hac et bipartita tractatione, cum ad finem noſtrum non ita ſtare videatur, contenta tantummodo, quae cuilibet capiti praefixa ſunt, afferemus.

Prima pars ſex capitibus abſoluitur, quorum p. 6.
primum agit, de deſcribendis variis obiectis naturae, eorumque virtutibus obſeruandis. Oſtenditur in altero, quid requiratur ad obſeruandam p. 135.
viam, qua natura in ipſis mutationibus, in rerum vniuerſitate oboriundis, incedit. Demonſtra- p. 252.
tur in tertio capite, qua ratione ſenſuum fallaciae obueniendum ſit, ita, vt omnia, quae ad magnitudines, diſtantias, figuras formasque corporum faciant, certo poſſimus definire, motus eorum eſſentiales ab apparentibus diſtinguere, curuasque inde, quas deſcribunt, detegere lineas. Agit in p. 321.
capite quarto de delectu inſtrumentorum, ad artem obſeruandi neceſſariorum, et de iis, ad quae in eorum vſu attendi debeat. Definitur animus in p. 367.
quinto, in obſeruanda natura neceſſarius. In ſexto denique capite ſuper nomenclatura, methodisque excogitatis producta naturae in ordinem redigendi p. 392.
disputatur.

In altera parte, quantum ars obſeruandi ad per- p. 416.
fectionem animi conferat, examinatur, eaque quatuor capitibus conſtat. Commonſtrat in primo, p. 419.
quantum ars obſeruandi, ad augendas ideas noſtras iuuet. Definit in altero, quatenus haec ars com- p. 434.
parationem idearum facilitet, quantumque nos iuuet,

iuuet, vt iuſtam inde et veram acquiramus cognitionem; vel vt, niſi ad rectam certitudinem pervenire poſſimus, rerum probabilitates iuſte metiamur. Videmus in tertio, quatenus ars obſeruandi rationem humanam, ad res bene componendas, vel ſeparandas adiuuet; vel ſenſationi pulcri ſatisfaciendo, vel, ſi opus fuerit, nobis auxilium largiendo, producta naturae in vſum noſtrum convertendi. In quarto tandem oſtenditur, quomodo artis obſeruandi rationi noſtrae contemplationes offerantur, quae nos emendent, nobisque ideas creatoris magnificas ſubminiſtrent, quae animum noſtrum exacuent, et ad bene beateque viuendum conducant.

p. 505.

p. 539.

p. 557. 2. Commentarius *de parallaxi ſolis* Auct. I. I. HENNERT.

p. 601. 3. Obſeruatio *albae zonae coeli* (*witten hemelgordel*) Auct. Cl. IO. SCHIM et a I. F. MARTINET communicata. Aequalem, ſed paulo imperfectiorem, huius phaenomeni obſerationem Cl. MARTINET ſupra *) communicauit. Hic vero eam, quam Cl. SCHIM de hoc phaenomeno habuit, inſerit: ex quarum comparatione id elucet, hanc illa multo diſtinctiorem eſſe: id quod Noſter partim aedificiis Leidenſibus adſcribit, quibus impeditus, non horizontem totum dispicere, nec ita lumen illud profundum boreale, cuius Cl. SCHIM meminit, obſeruare potuit; partim vero vario tempori, quo vterque obſeruationem inſtituit, attribuit.

p. 605. 4. Conſilium Cl. IACOBI VAN DER HAAR *de clauis verrucisque commode exſtirpandis.* Clauos a ſola

*) vid. Verhandeling. van deeze maatsch XII. Deel. p. 362 ſeq. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 592.

a ſola preſſione deriuandos eſſe, nemo facile negabit: id quod Noſter ex feminis Batauis probat, quae olim magnis prementibusque aurium ornamentis vſae, eiusmodi concretionibus calloſis, in marginibus aurium adficiebantur; vel quibus ob labem pectoris, phthiſeos v. c. vel carcinomatis, vni tantum lateri incumbendum eſt, iisdem excreſcentiis ob continuam auris frictionem, laborant *). Hinc omnis clauorum cura in remouenda preſſione ponenda eſt, quam ita ſuadet, vt rotunda corii craſſi et mollis particula, denarii magnitudinem aequans, vel etiam ſuperans, cuius media pars foramine, clauo paulo maiore, inſtructa eſt; vel emplaſtrum diapalmae, linteo ad eandem craſſitiem illitum, eiusdem magnitudinis et formae, ſupra clauum imponantur, ita, vt clauus non, niſi in margine radicis prematur; hoc vero operculum emplaſtro glutinante aliquoties obducto, per nonnullas ſeptimanas firmetur; vel, ſi opus fuerit, reiteretur. Simplici hac methodo cauſſa ſublata, effectum Noſter diſparuiſſe vidit. Subſellium, vbi p. 609. clauus infra, vel lateraliter ſedem habuerit, craſſum et ex coactili exſtructum, pedi in calceo ſubiicit, vt in foramine, ibi, vbi clauus poſitus ſit, facto, ipſe ſine preſſione requieſcat. Exemplis Noſter preſſionem frictionemque, cauſſam clauorum, illuſtrat.

Verrucarum praeſentiſſimum et tutiſſimum re- p. 610. medium in tinctura cantharidum, vel emplaſtro veſicatorio conſtare Noſter expertus eſt. Pennula enim, hac tinctura imbuta, verruca, quotidie octies, vel duodecies tangitur; vel emplaſtro veſicatorio

*) HIPPOCRATES de morbis mulierum L. II. c. 20. edit. CHARTERII Tom. VII. p. 808. BOERHAAVE Aphor. p. 499.

torio per nonnullos dies tegitur. His remediis verrucas, cuiuscunque demum sint generis, nulla exstirpari posse, Cl. Auctor defendit: quid? quod ipsae verrucae venereae, nullis, nec ipsi mercurio cessantes, ita plerumque euanuerunt. In atheromate eadem et callositatibus fistularum admodum se commendare Nostro constitit; monet tamen, inveteratas cutis excrescentias his non irritandas et maligniores reddendas esse.

Insunt in altera parte:

p. 1. 1. *Responsio* S. R. IAN. SENEBIER *ad priorem quaestionem.*

p. 171. 2. *Eiusdem quaestionis tertia responsio* Auct. Cl. W. DE VOS.

p. 261. 3. Relatio Cl. G. BRUGMANS *de deglutitione difficili et vomitu pituitoso.* Continuat Noster eiusmodi morbos*) attente obseruare. Vidua quadraginta trium annorum, temperamenti melancholici, passionibus crebrioribus hysterici vexata, impedimentum quoddam deglutitionis liberioris in medio circiter oesophagi, aliquot ante mortem annos sensit, quem sensum abhinc continuo, ad praecordia eo magis, siquidem ea premerentur, percepit. Symptoma consuetum vomitus continui materiae aquosae, non aderat, nec viscidum solutum, nisi in maiori morbi incremento, per os eiiciebatur. Pituita haec nunc crassior tenaciorque, magna cum vi sine praegressis alimentis ingestis, et cum insigni siti, nunc vero statim cum ingestis cibis euacuebatur, ita, vt etiam exinde summe asthmatica redderetur, nec fere quidquam ingerere posset. Vsu interim seri lactis acidi valde iuuabatur,

*) Verhandel. van deeze maatsch. XII. Deel p. 13. in obseruatt. vid. Comm. nostr. Vol. XVIII. p. 597.

tur, eiectioneque muci imminuta, deglutitio liberior paulo facta est; nec tamen, symptomatis paulo leuioribus, morbus sublatus erat, quin potius non diu post mucus, per tempus in ventriculo collectus, simul cum ingestis cibis euomebatur, aegramque, non remittens, tabidam reddebat: quae denique, nullis iam auxiliis adiuta, paullo post exspirauit. Cadauere aperto, ventriculum iusto multo minorem in latere eius sinistro superiori interne et externe, multos paruos tumores carnosos in se continuisse, quos dissectos paullo exulceratos, nonnullasque horas in aquam immissos, in colorem aurantium mutatos esse repertum est. Inuenerunt porro oesophagum, tres digitos supra cardiam valde induratum, copiosisque tumoribus similibus duris obsitum, qui nec vllam exulcerationem, neque coloris immutationem ostenderunt. Praeterea et in superficie externa oesophagi tumor paullo maior, oui columbini ad instar, ex fibris multis carnosis filamentisque exstructus, detectus est. Reliqua naturalia erant. p. 263.

4. *Experimenta super noua agricultura* a Cl. I. F. MARTINET, communicata. Primum experimentum *Schalchly* quidam, secundum regulas nouae agriculturae, S. V. KEVCHENII anno 1767, cum tritico in horto suo sic instituit, vt agrum in decem partes, octodecim pedes longas et duos latas, vnumque a se inuicem distantes distribueret, iisque iuste adaptatis, grana boni tritici albi Seelandici, sex pollices a se distantia, in qualibet parte terrae mandaret: his bene vegetatis maturisque redditis, quodlibet granum 36–38 spicas foecundas protulit, calculoque inde ex vno grano, 37 spicas ferente, ducto, 2153 vegeta grana et foecunda, 3-vncias ponderantia, habuit: ex quibus omnibus ergo simul collectis, constitit, ex semicyatho granorum supra p. 265.

duos modiolos (*vaten*) tritici boni productos fuisse. Casu granum vnum secalis tritico immixtum 63 spicas, quae 3224 grana bona, et fertilia conferrent, protulit. Anno subsequente alterum instituit
p. 271. experimentum, cum eodem tritico Seelandico in agro, 192 pedes rheinland. longo et 62 lato, iuste ad hunc finem adaptato et in 25 partes distributo, ita, vt mense septembri in qualibet parte tres series, vbi grana, semidigitum a se distantia, inferret, constitueret. Parte vigesima, cum cura iusta paullo negligeretur, loliumque, copiosius ibi excrescens, non ita statim eradicaretur, emortua, reliquarum 19 partium haec fuit productio: septem supra 35, septem 25–35, et quinque infra 25 spicas protulerunt: tres aristarum fasciculos porro, singulos ex vno grano progerminatos, computauit, quorum primus 38 spicas, quae 1337 grana comprehenderent, alterus 39, cum 1560 granis, et tertius 51 cum 1898 granis ostendit: computoque generali facto ex vno 339 grana habuit.

p. 277. Tertium experimentum 1769, eadem methodo et maiori quidem cura in eo ipso agro institutum, non ita felicem habuit successum: hyeme enim satis pluuiosa ager inundatus glacieque obductus est, ita, vt etiam parte vigesima deperdita, 19 saltem quidem manerent, haud ita vero gratae. Secalis granum casu huc immissum, 73 spicas cum 4337 granis produxit.

Sequuntur obseruationes meteorologicae Zwanenburgenses anni 1770.

XI.

The natural hiſtory of the human teeth: explaining their ſtructure, vſe, formation, growth and diſeaſes. Illuſtrated with copper plates by JOHN HVNTER F.R.S. and Surgeon to St. George's Hoſpital. London, printed for I. Iohnſon 1771. 4. mai. pl. 21. tab. aen. 16.

h. e.

Hiſtoria naturalis dentium humanorum, in qua ſtructura, vſus, formatio, incrementum et morbi eorum explicantur, ac tabulis aeneis illuſtrantur. Auctore IOHANNE HVNTERO.

Egregium hoc, quod nunc indicamus, opus ſtudio IOHANNIS HVNTERI, fratris GVILIELMI HVNTERI celeberrimi illius Londinenſium diſſectoris et medici conſcriptum eſt, quem hic Noſter in examinanda corporis humani ſtructura non modo adiuuat, ſed et doctrinam fratris artemque mirifice aemulatur. Quod quidem, niſi iam ex aliis ſpeciminibus pateret, hac dentium humanorum hiſtoria ſatis comprobaretur, quippe quae inter praeſtantiſſima ſcripta anatomica, quibus noſtrum aeuum gloriari poteſt, omnino referri meretur. Omnes autem, quae in ea continentur obſeruationes, vti Cl. Auctor in praefatione ipſe monet, ante annum huius ſeculi quinquageſimum quintum factae et in Cel. GVILIELMI HVNTERI lectionibus publice demonſtratae ſunt. Tabulas vero aeneas praeſtantiſſimas, quibus hoc opus

ornatum eſt, Cl. RYMSDYCK delineauit; aeri autem eas inciderunt Cl. GRIGNON, STRANGE, RYLAND, aliique celeberrimi, quos iam Anglia alit, in hac arte viri.

In tractando vero argumento ſuo, hoc eſt, in exponenda dentium humanorum hiſtoria Cl. Auctor ita verſatur, vt primo deſcribat maxillam ſuperiorem et inferiorem, vna cum proceſſu alueolari, ſeu margine alueolari vtriusque maxillae et articulatione maxillae inferioris motuque huius articuli. Exponit deinde de muſculis maxillae inferioris, maſſetere ſcilicet, temporali, pterygoideo interno ac externo et digaſtrico, nec non de actione horum muſculorum: atque porro ſtructuram dentium in vniuerſum, tum in ſpecie corticem partemque oſſeam eorum, cauitatem in omnibus dentibus obuiam, ac perioſteum, quo ex parte obducuntur, verbis, figurisque deſcribit. Tunc de ſitu et numero dentium in genere et ſpeciatim de ſingulis dentium claſſibus, inciſoribus ſcilicet, cuſpidatis, quo nomine caninos inſignit, duobus prioribus molaribus, quos *bicuſpides* vocat, et tandem de reliquis molaribus agit. Deinceps ad articulationem dentium, gingiuarum deſcriptionem, actionem dentium, quae a motu maxillae inferioris pendet, progreditur, et comparationem motus maxillae in iunioribus et in adultis inſtituit. Porro diſputat de formatione proceſſus alueolaris et dentium in fetu, de cauſſa doloris in dentitione, de formatione et incremento dentium adultorum, ſeu eorum, qui in altera dentitione prodeunt, atque de ratione, qua in vniuerſum dens formatur, de oſſificatione dentium circa pulpam, qua interius replentur, de modo quo cortex naſcitur, de dentitione ſecunda, de incremento maxillae vtriusque et

cauſſa

cauſſa, quae dentitionem alteram neceſſariam reddit, de ratione, qua cauitas alueolaris ſenſim repletur, de continuo dentium incremento eorundemque ſenſibilitate. Tandem diſſerit de dentibus ſupernumerariis, ac de vſu dentium in loquela. Disquirit etiam, ad quam claſſem dentes humani pertineant, vtrum ſcilicet cum dentibus carniuororum, an animalium herbis viuentium conueniant, ac de morbis dentium; ſicuti etiam varias obſeruationes circa rationem eos mundificandi, et ex vno alueolo in alium transplantandi addit.

Cum vero obſeruationum, quae in hoc libro continentur, nouarum praecipuaque attentione dignarum, inſignis ſit numerus, nec ſpatii anguſtia permittat, vt de ſingulis fuſius exponamus, ſpeciminis loco quaedam tantum hic adduxiſſe ſufficiat.

Proceſſus alueolares magis ad dentes, quam ad maxillas pertinent et dentium quaſi partes eſſe videntur. Vna enim cum dentibus formantur, creſcunt et pereunt: nam deſtructionem dentium proceſſuum deſtructio ſemper ſequitur. Caluam pueri Cl. Auctor vidit, in qua, cum dentes duo inciſores ſuperioris maxillae nondum gingiuas penetrauerant et radicibus deſtituti gingiuis adhaerebant, proceſſus quoque alueolaris et alueoli deficiebant, dentibus non in maxilla, ſed in gingiuarum carne formatis. Articulationi maxillae inferioris eiusque motui, tum cauitas oſſis temporum, tum eminentia, ante hanc cauitatem obuia, inſeruiunt. In homine viuo eminentiá haec talis eſt, vt condylus ex hac cauitate, ſupra hanc eminentiam, non deſcendat, ſed recta antrorſum moueatur. Cartilago meniſcoidea magis

p. 7.

p. 8.

p. 10.

ad condylum, quam ad cauitatem articularem pertinet. Comitatur enim condylum in motu ſuo, ita tamen, vt non vbique eum, ſed eo vsque tantum ſequatur, vt inaequalitatibus variis oſſis temporum in vario et libero maxillae motu ſe accommodet. Partes illas quoque a frictione defendit: quare in carniuoris etiam animalibus reperitur, in quibus nec eminentia, nec cauitas; ſed ſimplex
p. 20. tantum ginglymus adeſt. Maſſeter ad iugum, cum temporali muſculo confunditur et quaſi eius continuatio eſt, ita vt hi muſculi tanquam vnus muſculus conſiderari poſſint. Digaſtrici maxillam deprimunt. Quod ſi vero vnus
p. 27. ex iis fortius agat, maxillae rotationem efficiunt, et antagoniſtae quaſi pterygoideorum externorum fiunt. Laryngem iſtos digaſtricos leuare negat Noſter, illosque potius pro praecipuis inſtrumentis depreſſionis maxillae inferioris habet: quod etiam tactu facile cognoſci poſſit, ſi digitus ante marginem maſtoidei retro maxillam inferiorem ponatur, ſub cuius depreſſione manifeſte venter digaſtrici poſterior intumeſcit. Sterno-hyoideos et ſterno-thyroideos, vna cum mylo- et genio-hyoideis maxillae depreſſioni inſeruire Cl. Auctor non concedit, cum os hyoideum in depreſſione maxillae non deſcendat, nec illud ipſum os antrorſum moueatur. Tactus quoque docet, omnes hos
p. 31. muſculos, ſi maxilla aperiatur, flaccidos eſſe. Si maxilla fixa eſt, caput retrahitur, et os aperitur, non actione muſculorum, vt multi putant, qui caput extendunt etc. ſed actione digaſtrici, quod pluribus Cl. Auctor demonſtrat. Fibroſam cortex fabricam oſtendit, fibris a peripheria ad centrum ductis, quo artificio et dentis oſſea ſubſtantia et cortex, eam inueſtiens, in manducatione firmantur. Cortex terra conſtat, quae per animalem quandam ſubſtan-

ſubſtantiam cohaeret. Admota vi ignis, non in calcem abit, niſi acido antea ſolutus fuerit. In igne album colorem diutius, quam oſſea dentis pars retinet, vaſculis vero plane deſtituitur. Oſſea p. 36.
autem dentium pars, quae proprie eos conſtituit, ex terra calcarea et animali ſubſtantia componitur. Quamquam dentium radices nonnunquam intumeſcunt, vt alia oſſa in ſpina ventoſa intumeſcere ſolent, ac cum alueolis anchyloſi cohaerent; vix tamen his argumentis organica, ſeu vaſculoſa dentium fabrica demonſtrari poteſt. Radicum enim tumor a prima forte formatione originem ducit, ac anchyloſis dentis cum alueolo pulpae morbus eſt, qua radix cum alueolo vnitur. Nunquam, vel omnibus artificiis adhibitis, iniecta vaſis materia ceracea, ad ipſam dentium ſubſtantiam penetrat. In animalibus iunioribus, in quibus oſſa ex paſtu rubiae tinctorum, rubrum colorem acquirunt, partes iam formatae in dentibus non rubent; ſed eae tantum, quae poſtea formantur. Neque hae dentium particulae, ſi vſus rubiae omittatur, vt alia oſſa iterum albeſcunt, quod indicio eſt, differre dentes, a reliquis oſſibus, quae quotidie, vti reliqua c. h. ſolida, decrementum et incrementum capiunt. Cum etiam ſola abraſione decreſcant, nec in laeſa oſſium nutritione ſeu oſteoſarcoſi emolliantur, eos ratione circulationis humorum tanquam extraneas partes, nec ad corpus humanum proprie pertinentes, conſiderare poſſumus. Confirmat hoc obſeruatio, quae docet, morbos, corpus humanum in vniuerſum infeſtantes, raro dentes laedere. Vix tamen Cl. Auctori concedere poſſumus, in rhachitide dentes nunquam morboſe affici, cum dentes in pueris rhachiticis et tardius prodeant, et celerius iterum pereant. Ca- p. 47.
vitas, quae in omnibus dentibus reperitur, figura

ſua dentis figuram exacte refert. Medulla non repletur, ſed pulpa, quae ex vaſculis ſanguiferis et neruis, tela celluloſa inter ſe iunctis, conſtat. Nervorum tamen ad ipſos dentes progreſſum Cl. Auctor nunquam oculis conſpicere ſe potuiſſe confirmat. Bicuſpides poſteriores Noſtri, ſeu molares ſecundi, ſaepius, quam alii, dentibus ſic dictis ſapientiae exceptis, deficiunt. In pluribus quoque animalibus, inter dentes inciſores et molares, vacuum aliquod ſpatium reperitur. Molares poſteriores, quos Ill. HALLERVS *grandiores* vocat, in inferiore maxilla duas, in ſuperiore tres radices habent. Aſſerunt quidem nonnulli diſſectores, ſe plures radices vidiſſe; ſed cauſſa erroris huius in eo poſita eſt, quod ex aucto numero cauitatum in radicibus diffractis collegerint, plures radices in
p. 63. initio adfuiſſe, ac inter ſe coaluiſſe. Situs radicum in ſuperiore maxilla ita ordinatus eſt, vt eae diuergentes antrum HIGHMORI quaſi comprehen-
p. 64. dant, eique cedant. In alueolis ſuis motum aliquem experiuntur dentes; hinc in caluis in quibus perioſteum maceratione deſtructum eſt, molaribus exceptis, ſponte alueolis excidunt. Motus vero ille efficit, vt duriorum corporum vi atque impul-
p. 68. ſui cedant, nec facile frangantur. In maſticatione vulgari maxilla ſuperior non mouetur, ſed immobilis manet. Omittimus, quae Cl. Auctor de actione dentium, a motu maxillae pendente, et de motus maxillae in pueris ſenibusque diuerſitate egregie diſ-
p. 78. putat. Molares priores, ſeu bicuſpides Auctoris Cl. in pueris, qui nondum alteram dentitionem experti ſunt, veri molares ſunt, atque cum iis figura prop-
p. 80. ſus conueniunt. Dolor in dentitione, non ab actione mechanica et preſſione dentis in gingiuas oriri ſolet; ſed ab irritatione gingiuarum maior affluxus humanorum et inflammatio producuntur, quam decrementum et attenuatio gingi-

gingiuarum ſequuntur, quibus deſtructis, dens demum prodit. Simile quid nonnunquam in aliis locis obſeruatur, ſi corpora peregrina, vt globuli plumbei, partes oſſis exfoliatione ſeparatae cet. ſub cute deliteſcant, quae etiam haud raro, deſtructis integumentis, nullo abſceſſu nato, ſponte quaſi prodeant. Hinc patet in dentitione difficili gingiuarum diſſectionem omnino magni vſus eſſe poſſe. Dentitio altera non a primo ſolum inciſore, vt prima, incipit, ſed etiam a primo molari. Dentes vero, inter primum inciſorem et molarem poſiti, celerius prodeunt, quam ii, qui poſt molarem primum ſiti ſunt. Tertia vice duos inciſores in ſene ſeptuagenario prodire vidit Noſter. Cum vero eiusmodi dentes rarius in integra ſerie prodeant, ſaepius extrahendi ſunt, ne in maſticatione gingivas laedant. Primo corpus dentis, deinde radices et cortex naſcuntur. Omnes dentes ſupra pulpam aut ex pulpa ipſa formantur. Haec vaſculoſa eſt et maxillae adhaeret in inferiore parte illius cauitatis, quae alueoli initium eſt, et eo in loco, vbi vaſa intrant. Comprehenduntur membrana, quae cum maxilla et gingiuis coniuncta eſt. Ipſi vero dentes liberi ſunt, et cum membrana tantum in radice cohaerent. In fetu ſex vel ſeptem menſium haec membrana, ſatis iam craſſa eſt et quaſi gelatinoſa. Duabus conſtat laminis, quarum exterior mollis eſt, ſpongioſaque et vaſculis deſtituitur; interna vero denſior ac vaſculoſa deprehenditur. Inter hanc membranam et dentem ipſum, nondum perfectum, ſemper aliquis liquor, liquido articulari ſimilis, reperitur. In dentitione haec membrana ſemper perforatur et dente progreſſo ſenſim perit. Oſſificatio dentis ſupra pulpam, ex vno, vel pluribus punctis pro varia dentium ſpecie incipit. Vnum punctum in *cuſpidatis*, duo vero in iis, quos *bicuſpides* Noſter vocat, in inciſoribus, tria

p. 82.

p. 86.

p. 88.

tria et in molaribus, quatuor vel quinque puncta deprehenduntur, quibus ſenſim auctis, tota tandem pulpa oſſe obtegitur. Pulpae vero huic nouus dens leuiter tantum adhaeret, ita vt ſine vlla vaſorum dilaceratione, ab ea ſeparari poſſit. Poſtquam vero omnis pulpa oſſe tecta eſt, os contrahitur paullulum et magis rotundam acquirit figuram, eamque dentis partem efficit, quam collum vocamus, ſeu eam cui gingiuae poſtea adhaerent, tandemque radicem protrudere incipit. Dum autem radices formantur, ipſa corpora dentium ſurſum per alueolos et gingiuas propellunt, quae tum, vt ſupra diximus, ſenſim pereunt. Proprie pulpa nullum proceſſum habet, qui ad radicem pertineat; ſed, dum cauitas in corpore dentis oſſe repletur, pulpa quoque in radicem elongatur. Haec magis magisque increſcit et in alueolo adſcendit, vsque dum omne corpus dentis prodierit. Quo facto, alueolus in fundo contrahitur, et radicis initium ſeu collum arctius comprehendit, eique adhaerens vna cum eo eleuatur, ita, vt radix in formatione non, vt vulgo putant, deſcendat, ſed vna cum margine alueolari ſurſum adſcendat. Extremus margo oſſificationis tenuiſſimus eſt, transparens et flexilis, atque accedit ad fabricam, quam teſtae cochlearum in incremento ſuo oſtendunt; in vniuerſum etiam portio dentis, quae iam oſſea facta eſt, cum pulpa fere eadem ratione cohaeret, vt teſtae animalium teſtaceorum, cum carne horum animalium coniunguntur. Omittimus deſcriptionem rationis, qua molares formantur, vel alii dentes pluribus radicibus inſtructi, quae magis compoſita eſt. Oſſea vero dentis pars, ſi accuratius examinatur, ex lamellis conſtare deprehenditur, quae ſibi concentricae quaſi incumbunt. Exteriores tamen breuiores ſunt interioribus, quae magis magisque

versus radicem elongantur. Ossea parte perfecta, p. 94.
cortex formari incipit. Materies, ex qua ille constat e pulpa seu capsula, qua dens tegitur, vt ex glandula secerni videtur, et a superficie osseae partis attracta super eam crystallisatur. Formatur itaque eadem ratione, vt testae ouorum et calculi urinarii ac biliarii, ex quo crescendi modo fabrica eius striata situsque striarum radiatus explicari potest. In initio non adeo durus est, sed, dum per gingivas progreditur, duritiem acquirit. In den- p. 98.
titione altera noui dentes, non ex alueolis suis priores protrudunt; sed in distinctis et nouis alueolis formantur. Hoc tempore, vti notum est, radices priorum dentium sensim destruuntur; haec vero destructio non a pressione mechanica noui dentis efficitur, cum ea aliquando in iis dentibus accidat, quos noui non sequuntur. Quae Auctor Clarissimus habet de mutatione figurae maxillarum in diversa aetate et caussa, quae dentitionem necessariam reddit, ob spatii angustiam omittimus. Al- p. 108.
veolus dentis, dum ille sensim destruitur, non contrahitur, sed noua quadam materia cauitas eius in fundo sensim repletur, quae obscuriorem colorem habet. Non continuo dentes vltra definitos limi- p. 110.
tes crescunt, sed caussa cur oppositio dente destructo alter elongetur, magis in incremento processus alueolaris posita est. Figura et situs den- p. 119.
tium humanorum ostendunt, hominem naturam tum carniuori, tum herbiuori animalis habere. Cum instrumenta, quae hucusque ad extractio- p. 122.
nem dentium inuenta sunt, illos non secundum directionem axis, sed lateraliter extrahant, optimum videtur esse, vt in euulsione dentis ille versus illud latus trahatur, in quo processus alueolaris debilior est. Hoc vero in omnibus, si duos molares

poste-

posteriores maxillae inferioris excipias, externum est.

Figurarum huic libro annexarum elegantia summa est, in quibus non solum maxillae et dentes e humano corpore desumti; sed etiam animalium dentes, v. c. equi repraesentantur. Ex tabula decima quarta apparet, in equis corticem osseam partem non includere, vt in homine, sed illum, in striis longitudinalibus dispositum, ac osseae parti intermixtum esse.

XII.

Synopsis of Quadrupeds (by THOMAS PENNANT). Chester, printed by I. Monk. 1771. 8 mai. 1 Alph. 2 pl. tab. aen. 31.

i. e.

Synopsis Quadrupedum Auctore THOMA PENNANT.

Auctorem huius libri esse Cl. PENNANT, qui *zoologia Britannica**) et *itinerario Scotico*, proxime a nobis indicaturo, suam zoologiae cognitionem abunde iam declarauit, ex nomine praefationi subiecto cognouimus. Consilium vero Cl. Auctoris in hoc conscribendo libro primum erat, vt ad proprium vsum nomina quadrupedum omnium ab Ill. BVFFON descriptorum, quae vti notum est, Ill. LINNAEVS in suo Systemate plane omisit, colligeret, eaque nomina in systematicum ordinem redigeret, additis aliis animalibus, a LINNAEO et BVFFONIO non commemoratis. Cum vero, indice hoc ad finem perducto, Cl. Auctori ille dignus videretur, qui

*) vid. comm. nostr. Vol. XVI. p. 408.

qui in lucem ederetur, ſynonyma aliorum Auctorum, deſcriptionesque animalium breues, locum natalem variasque de moribus et vſu eorum obſeruationes addidit; eaque ratione Synopſin hanc perfecit, quam omnibus hiſtoriae naturalis cultoribus gratiſſimam aeque, ac vtiliſſimam fore, putamus.

Ordo, quem Cl. Auctor in hoc Syſtemate quadrupedum ſequitur, ex RAII et LINNAEI methodo compoſitus eſt. Quamquam enim inſignia Ill. LINNAEI in zoologiam merita ſummis encomiis extollit; fatetur tamen, ſe in variis ab eo recedere, nec eius methodicam quadrupedum diſpoſitionem ſibi in omnibus arridere. Hominem enim a ſimiis, lemuribus et veſpertilionibus; elephantem, ſagaciſſimum illud animal, a ſtupidiſſimo bradypo, daſypo et myrmecophaga; talpam, foricem et erinaceum a feris; noctilionem, vt veſpertilionis ſpeciem, a gliribus ſeparare mauult. Nec cetacea ad vnam cum quadrupedibus claſſem pertinere, ſed propriam et ſingularem eorum claſſem conſtituendam eſſe putat.

Cum vero nos in recenſendo egregio illo opere Ill. BVFFONII*), ſynonyma Ill. LINNAEI non vbique adduxerimus; BVFFONII contra ſynonyma in Linnaeano ſyſtemate, quo omnes zoologi iam vtuntur, plane deficiant, tandemque a Cl. PENNANT multa animalia nouiter detecta, vel a prioribus ſcriptoribus omiſſa addita ſint; operae pretium, nec lectoribus iniucundum fore putauimus, ſi epitomen Syſtematis Noſtri, additis Ill. LINNAEI et BVFFONII ſynonymis, hic adducamus,

*) Primum volumen vid. comment. noſtr. Vol. III. p. 316 ſeqq.

camus, quae, quod ad posterioris opus pertinet, indicis quasi systematici, Linnaeani vero systematis supplementi loco inseruire potest.

*Quadrupeda*, a quibus, vt diximus, *cetacea* seiungit, quae Ill. LINNAEVS vna cum iis communi *mammalium* nomine comprehendit, Cl. Auctor in quatuor ordines diuidit. Horum primus *quadrupeda vngulata* continet, secundus *digitata*, tertius *pinnata*, quae pisciuora, vel herbiuora sunt et in aqua potissimum viuunt, quartus denique *alata*, quae insectis vescuntur. Ad hos ordines quadraginta tria genera Auctor Cl. refert, quae vt plurimum LINNAEI sunt. Omisit tamen *Hominis*, et *Viuerrae* genus ac *Noctilionis* ad alia retulit. Auxit vero systema suum nouis, *Giraffae*, *Antilopes*, *Tapiri*, *Hyaenae*, *Taxi*, *Lutrae*, *Cauiae*, *Marmotae* et *Ierboae* generibus, quae, vti notum est, LINNAEVS olim aliis generibus inseruerat.

Primus itaque Cl. Auctoris ordo, animalium *vngulatorum* est. Inter illa *equi* genus *solipedum* est, (*whole hoofed*): reliqua omnia *pedem vngulatum bisulcum* vel *in plures partes fissum* (*cloven hoofed*) habent, et iterum vel *cornuta* sunt, vel *cornibus* destituuntur.

*Genus* I. *Equi* sequentes comprehendit species:

Sp. 1. E. *generosus* seu *caballus* L. BVFF. T. IV. tab. 1. 2.

— 2. E. *zebra* L. BVFF. XIV. tab. 1. 2.

— 3. E. *asinus* L. BVFF. IV. tab. 11.

*Mulus* hybridum ex equo et asino animal.

*Genus* II. *Bos*.

Sp. 4. *B. taurus* L. BVFF. IV. tab. 14. Varietates eius sunt α) B. *grunniens* L. *la vache de Barbarie* BVFF. XV. p. 136. β) B. *Indicus dorso*

*dorſo gibboſo*, qui magnitudine et cornuum figura multum variat.

Sp. 5. B. *Bubalis* L. *le Buffle* BVFF. XI. 25. Huius varietas eſt α) B. *nudus*, pilis rarioribus, tenuiſſimis, ſetaceis, ex India Orientali.

Sp. 6. B. *americanus* ſeu *biſon* L. BVFF. XI. p. 305.

S. 7. B. *pygmaeus* ſeu *indicus* L. *).

*Genus* III. *Ouis.*

Sp. 8. O. *aries* L. BVFF. V. tab. 1. 2. Varietates eius ſunt: α) O. *ruſtica* L. β) O. *ſtrepſiceros* L. γ) O. *anglica* L. δ) O. *polycerata* L.**) ε) *africana* ſeu *guineenſis* L. *le belier des Indes* BVFF. XI. t. 34. ζ) *laticauda* L. *le mouton de Barbarie* BVFF. XI. t. 33

*Genus* IV. *Capra.*

Sp. 9. C. *fera*. ſ. *Ibex* L. *le bouquetin* BVFF. XII. t. 13. Ad hanc ſpeciem tanquam varietates Cl. Auctor refert: α) C. *hircum* L. BVFF. V. t. 8. quae tamen omnino ab ibice differt β) C. *angorenſem* L. BVFF. V. t. 10. 11. γ) *ſyriacam* ſeu *mambricam* L. δ) C. *africanam* ſeu *depreſſam* L. *le bouc d'Afrique* BVFF. XIII. t. 18. 19. ε) C. *whidauienſem* ſeu *reuerſam* L. *le Bouc de Iuda* BVFF. XII. t. 20. 21. quae non in America, ſed Africa habitat. ζ) *Capricornum.* BVFF. XII. t. 15.

Sp. 10. C. *rupicapra* L. *le Chamois* BVFF. XII. t. 16.

Sp. 11. C. *ſibirica, le moufflon* BVFF. XI. t. 29. ***) *Ge-*

*) *Zebu* BVFF. T. XI. tab. 13. ad varietatem β ſpeciei 4 huius generis pertinet.

**) Ab ea *le belier d'Islande* BVFF. XI. tab. 31. quodammodo differt.

***) Eſt *Capra Ammon* L. Hanc ouem in ſtatu fero eſſe Cl. BVFFONIN putat, quod vero Cl. Auctor negat, qui varia eiusmodi animalia ex Sardinia et Corſica allata vidit.

*Genus* V. *Giraffa.*

Sp. 12. G. *camelopardalis* ſeu *Ceruus camelopardalis* L. a quo genere tamen Cl. PENNANT ſingulare hoc animal, cuius ſpecimen in muſeo Academiae Lugdunenſis aſſeruatur, recte ſeparat.

*Genus* VI. *Antilope.* Genus hoc, quod ad *Capras* L. retulerat, ex Cl. PALLAS *) egregiis obſeruationibus Noſter ſequenti modo conſtituit.

I. Cornubus arcuatis eſt:

Sp. 13. A. *coerulea* ſeu *leucophaea* PALLAS. *an Kob* BVFF. XII. p. 210. t. 32.?

II. Cornubus rectis ſunt:

Sp. 14. A. *Aegyptiaca* ſeu *Capra gazella* L. *le poſſan* BVFF. XII. t. 33. f. 3. A. *bezoartica* PALL.

Sp. 15. A. *bezoartica* ſeu C. *bezoartica* L. *algazel* BVFF. XII. t. 33. f. 1. 2.

Sp. 16. A. *indica* ſeu A. *oryx* PALL. *couban* BVFF. XII. tab. 47.

Sp. 17. A. *loricata* (*harneſſed*) A. *ſcripta* PALL. *guib.* BVFF. XII. t. 40.

Sp. 18. A. *guineenſis. Moſchus Grimmia* L. A. *grimmia* PALL. *la grimme* BVFF. XII. t. 41.

Sp. 19. A. *regalis. le cheurotain de Guinea* BVFF. XII. t. 43. f. 2.

III. Cornubus antrorſum flexis:

Sp. 20. A. *indoſtanica* ſeu A. *tragocamelus* PALL. et in Philoſ. Tranſact. Vol. XLIII. p. 465.

Sp. 21. A. *albipes.* Noua ſpecies a Cl. Auctore ad ſpecimen ex India orientali allatum deſcripta et depicta.

Sp. 22. A. *celeris.* A. *dama* PALL. *nanguer* BVFF. XII. tab. 34.

Sp.

*) in *Miſcell. Zoologicis* p. 1. ſeq. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 238. et *Spicileg.* Faſc. 1. p. 1. ſeq. vid. comm. noſtr. ib. p. 491.

Sp. 23. A. *rubra*, ſeu *reduncа* PALL. *nagor* BVFF. XII. t. 46.

IV. Cornubus tortuoſis.

Sp. 24. A. *ſtriata*, ſeu *ſtrepſiceros* PALL. *condoma* BVFF. XII. t. 39.

Sp. 25. A. *vulgaris* ſeu *ceruicapra* PALL. *Capra ceruicapra* L. *Antelope* BVFF. XII. t. 35 et 36. ad quam varietates α) *brunea* et β) *cornubus laeuibus* BVFF. XII. t. 36. f. 3. pertinent.

V. Cornubus in medio flexis et antrorſum verſus finem recuruatis.

Sp. 26. A. *barbarica*, *Capra dorcas* L. A. *dorcas* PALL. *la gazelle* BVFF. XII. t. 23.

Sp. 27. A. *cornubus planis* A. *keuella* PALL. *kevel* BVFF. XII. t. 26.

Sp. 28. A. *alba*, A. *pygargus* PALL. Hanc *tzeiran* BVFFONII eſſe Cl. PALLAS autumat, quod Noſter negat.

Sp. 29. A. *ſinenſis*. *Capra campeſtris gutturoſa* Nou. Com. Petrop. V. tab. 9. *tzeiran* BVFF. XII. p. 207.

Sp. 30. A. *ſcythica* PALL. C. *tatarica* L. *ſaiga* BVFF. XII. t. 22. f. 2.

Sp. 31. A. *maculata*. *Corine* BVFF. XII. t. 27.

Sp. 32. A. *ceruina* (an C. *dorcas* L?) A. *bubalis* PALL. *le bubale* BVFF. XII. t. 37. 38.

Sp. 33. A. *ſenegalenſis*. *Koba* BVFF. XII. t. 32. f. 2.

Sp. 34. A. *gambienſis*. *Kob ou petite vache brune* BVFF. XII. t. 32. f. 1.

*Genus* VII. *Ceruus*. I. Cornubus palmatis:

Sp. 35. C. *alces*. L. *l'elan* BVFF. XII. t. 7. 8.

Sp. 36. C. *tarandus* L. *le renne* BVFF. XII. t. 10-12.

Sp. 37. C. *platyceros* ſeu *Dama* L. *le dain* BVFF. VI. t. 27.

II. Cornubus rotundatis:

Sp. 38. C. *elaphus* L. BVFF. Vl. t. 9. 10. cuius varietas eſt *le cerf de Corſe* Vl. tab. 11.

Sp. 39. C. *virginicus* ſeu *dama virginiana* RAII.

Sp. 40. C. *Axis* BVFF. Xl. t. 38. 39.

Sp. 41. C. *Axis maior.* (an prioris varietas?)

Sp. 42. C *porcinus*, a corpore craſſo ita vocatus. Noua ſpecies ex India orientali.

Sp. 43. C. *capreolus* L. *le chevreuil* BVFF. Vl. t. 31. 33.

Sp. 44. C. *mexicanus. Cheureuil d'Amerique* BVFF. Vl. t. 37. an *Cariacou* EIVSD. Xll. t. 44.

Sp. 45. C. *griſeus* ſeu *guineenſis* L. obſcura ſpecies.

Haec genera omnia cornua habent, ſequentia vero iis deſtituuntur.

*Genus* Vlll. *Moſchus.*

Sp. 46. M. *tibetanus* ſ. *moſchiferus* L. BVFF. Xll. p. 361.

Sp. 47. M. *braſilianus. Cuguacu ere* MARGRAV. *Ceruula Surinamenſis* SEB. T. I. tab. 44.

Sp. 48. M. *Indicus*, BVFF. Xll. p. 315.

Sp. 49. M. *guineenſis* ſeu *pygmaeus* L. *le cheurotain des Indes* BVFF. Xll. t. 42. 43.

*Genus* IX. *Camelus.*

Sp. 50. C. *arabicus* ſeu *dromedarius* L. BVFF. Xll. t. 9.

Sp. 51. C. *bactrianus* L. *chameau* BVFF. Xl. tab. 22.

Sp. 52. C. *Llama* ſeu *Glama* L. BVFF. Xlll. p. 16.

Sp. 53. C. *Pacos* L. BVFF. Xlll. p. 16.

*Genus* X. *Sus.*

S. 54. S. *vulgaris* ſeu *ſcrofa* L. BVFF. V. t. 16. Varietates ſunt α) *guineenſis* BVFF. XV. p. 146. ſeu *Porcus* L. β. S. *chinenſis* L. *Cochon de Siam* BVFF. V. t. 15. γ. S. *vngula indiuiſa* (quales plures in Polonia inueniuntur). Alia varietas ſetis longiſſimis et auribus ſetoſis tabula XI. depingitur.

Sp.

Sp. 55. *Sus aethiopicus* PALL. *Miſc. zool.* p. 16. t. 2. et Faſc. II. t. 1. vid. comment. Vol. XV. p. 240. et p. 493. *Sanglier du Cap verd* BVFF. XIV. p. 409. XV. p. 148.

Sp. 56. *Sus mexicanus* ſeu *taiacu* L. BVFF. X. t. 3. 4.

Sp. 57. *Sus indicus* ſeu *babyruſſa* L. BVFF. XII. t. 48.

*Genus* XI. *Rhinoceros.*

Sp. 58. R. *vnicornis* L. BVFF. XI. t. 7. cum Varietate α) R. *bicornis.* L.

*Genus* XII. *Hippopotamus.*

Sp. 59. H. *amphibius* L. BVFF. XII. t. 3.

*Genus* XIII. *Tapiir.* Pedibus anticis quater vngulatis, poſticis triungulatis vel biſulcis.

Sp. 60. T. *longiroſtris* (longnoſed). *Hippopotamus terreſtris* L. Edit. X. *Tapir* ſeu *Anta* BVFF. XI. t. 43. Quod animal LINNAEVS in Edit. XII. ſyſtematis omiſit.

Sp. 61. T. *craſſiroſtris* (thicknoſed) *Sus hydrochaeris* L. *cabiai* BVFF. XII. t. 49.

*Genus* XIV. *Elephas.*

S. 62. *magnus* ſeu *maximus* L. BVFF. XI. t. 1.

S. 63. *americanus.* Ex dentibus foſſilibus in America repertis nouam hanc ſpeciem conſtituit, vti iam alii ante eum fecerunt. *) Maxima differentia in figura dentium molarium poſita eſt, qui carniuororum animalium molaribus ſimiles ſunt. Hanc tamen differentiam a ſola aetate pendere poſſe, alio loco iam monuimus **).



*) vid. Phil. Transact. Vol. LVIII. p. 34. comm. Vol. XVII. p. 388.

**) vid. ib.

Secundus quadrupedum ordo *digitata* continet, quae Cl. Auctor in quinque diuiſiones iterum abire iuſſit.

*Prima diuiſio* continet *anthropomorpha*. Ad quam ſequentia genera pertinent.

*Genus* XV. *Simia*.

I. Cauda nulla. *Simiae* veterum.

Sp. 64. S. *magna*. ſ. *Satyrus* L. et *Homo troglodytes* EIVSD. *Iocko* BVFF. XIV. t. 1. et *Pongo* EIVSD.

Sp. 65. S. *pygmaeus* ſ. *Syluanus* L. *Pytheque* BVFF. XIV. p. 84.

Sp. 66. S. *longimana* (Eſt *homo lar* L. *Mantiſſ.* II. p. 521. vid. Phil. Tranſact. 1769. p. 71. t. 3. Comm. Vol. XVIII. p. 641.) *le Grand gibbon* BVFF. XIV. t. 2. cuius varietas eſt *le petit gibbon* EIVSD. l. c. t. 3.

Sp. 67. S. *barbarica* ſ. *Inuus* L. *Magot* BVFF. XIV. t. 7. 8.

Sp. 68. S. *faſtigiata* (tufted). *Mantegor* Phil. Tranſ. n. 290.

II. Cauda abbreuiata. *Papiones*.

Sp. 69. S. *naſo ſulcato* (ribbed noſe) *Mandril* BVFF. XIV. t. 16. 17. *Maimon* L. *).

Sp. 70. S. *minor* S. *apedia* L.

Sp. 71. S. *breuicaudata* (pig-tail) *Nemeſtrina* L. *Maimon* BVFF. XIV. t. 19.

III. Cauda elongata. *Cercopitheci*.

*a*. S. antiqui orbis, quae bucca ſaccata, natibus caluis et cauda elongata non prehenſili donantur.

Sp. 72. S. *cynocephalus* (dog-faced) *hamadryas* L. *Babouin* BVFF. T. XIV. t. 13. 14.

Sp.

*) Deſcriptionem huius animalis vid. in Act. Suecicis Vol. XXVII. p. 138. Com. Vol. XVI. p. 585.

Sp. 73. S. *caudâ leonina.* Huc pertinent S. *faunus*, *silenus* et S. *veter* L. nec non *l' Ouwanderou* BVFF. XlV. t. 18. Quinque huius ſpeciei varietates hic recenſentur.

Sp. 74. S. *labio leporino* (hare lipped) S. *Cynomolgus* L. et S. *cynocephalus* EIVSD. *Macaque* BVFF. XlV. t. 14. Varietas eius eſt *Malbrouck* BVFF. XlV. t. 29.

Sp. 75. S. *maculata* S. *Diana* L. *Exquima* BVFF. XV. p. 16.

Sp. 76. S. *viridis* ſ. *ſabaea* L. *Callitriche* BVFF. XlV. t. 37.

Sp. 77. S. *palpebra alba* ſeu *aethiops* L. quam ille varietatem S. *cephi* eſſe putat. Eſt *Mangabey* BVFF. XlV. t. 32. Huius varietas eſt: *Mangabey à collier blanc* BVFF. I. e. t. 33.

Sp. 78. S. *mouſtac* BVFF. XlV. t. 39. ſeu *cephus* L.

Sp. 79. S. *talapoin* BVFF. XlV. t. 40.

Sp. 80. S. *aethiops.* EDW. 311. quam figuram LINNAEVS ad ſequentem ſpeciem refert.

Sp. 81. S. *egretta* ſeu *l'aigrette* BVFF. XlV. t. 21.

Sp. 82. S. *rubra. Patas à bandeau noir* BVFF. XlV. t. 25. et varietas *à bandeau blanc* t. 26.

Sp. 83. S. *ſinenſis. Sinica* L. Mant. 2. p. 521. *Bonnet chinois* BVFF. XlV. t. 30.

Sp. 84. S. *variegata. Mone* BVFF. XlV. 36.

Sp. 85. S. *cochin-ſinenſis. Nemaeus* LINN. Mantiſſ. 2. p. 521. *Douc* BVFF. XlV. t. 41.

Sp. 86. S. *fuſca* (tawny). Noua ſpecies.

Sp. 87. S. *nictitans* L.

Sp. 88. S. *barba caprina.* Noua ſpecies.

Sp. 89. S. *annulata.* Noua ſpecies.

Sp. 90. S. *philippenſis* ſeu *ſyrichta* L.

*b.* S. noui orbis, quae receptaculo illo in buccis carent, nec nates caluas habent.

1) cauda prehenſili *Sapajous* (BVFF.)

Sp. 91. S. *concionator*. S. *beelzebul* L. (an *ſapajou ouarine* BVFF. XV. p. 5?) Varietas huius eſt S. *faniculus* L. ſeu *l'alouate* BVFF. XV. p. 5. ſeq.

S. 92. S. *palmis tetradactylis* ſeu *paniſcus* L. *coaita* BVFF. XV. p. 16. t. 1.

Sp. 93. S. *capucina*. Comprehendit S. *trepidans* L. et *capucinam* atque *apellam* EIVSD. Eſt *ſajou brun et gris* BVFF. XV. t. 4. et 5.

Sp. 94. S. *eiulans*. *Sai* et *ſai à gorge blanc.* BVFF. XV. t. 8. 9.

Sp. 95. S. *aurantii coloris* ſ. *ſciurea* L. *ſaimiri* BVFF. XV. t. 10.

Sp. 96. S. *cornuta* ſ. *fatuellus* L.

Sp. 97. S. *Antiguenſis*. Noua ſpecies.
2) cauda non prehenſili (naribus patulis, *Sagouins* BVFF.)

Sp. 98. S. *cauda vulpina*. *Pithecia* L. *ſaki* BVFF. XV. t. 18.

Sp. 99. S. *aurita* ſ. *midas* L. *tamarin* BVFF. XV. t. 13.

Sp. 100. S. *ſtriata* ſ. *iacchus* L. *l'ouiſtiti* BVFF. XV. t. 14.

Sp. 101. S. *ſericea* ſ. *roſalia* L. *marikina* BVFF. XV. t. 16.

Sp. 102. S. *cauda rubra* S. *oedipus* L. *pinche* BVFF. XV. t. 17.

Sp. 103. S. *pulcra. argentata*. L. Mant. 2. p. 521. *mico* BVFF. XV. t. 18.

*Genus* XVI. *Maucauco* ſeu *Lemur* L.

Sp. 104. M. *ecaudatus* ſ. *Lemur tardigradus* L. *Loris* BVFF. XIII. t. 30.

Sp. 105. M. *laniger*. ſ. *Lemur mongooz* L. BVFF. XIII. t. 26.

Sp. 106. M. *cauda annulata*. *Lemur catta* LIN. *Mococo* BVFF. XIII. t. 22.

Sp.

Sp. 107. M. *collari barbato.* *Lemur macaco* L. *Vari.* BVFF. XIII. t. 17.

Sp. 108. M. *flauus.* Noua ſpecies.

Sp. 109. M. *volans* ſeu *Lemur volans* L. (Conf. BVFF. X. p. 98.)

*Secunda diuiſio* continet quadrupeda digitata, dentibus laniariis maioribus ab inciſoribus remotis, et ſex vel pluribus inciſoribus in vtraque maxilla inſtructis. Omnia carniuora ſunt et ad *Feras* L. pertinent.

*Genus* XVII. *Canis.*

Sp. 110. C. *fidelis* ſeu *familiaris* L.*) hanc ſpeciem ſecundum Cl. BVFFON in varias familias diuidit Noſter.

α) C. *domeſticus* L. *le chien de berger* BVFF. V. t. 28. Ad illum accedunt 1) C. *Pomeranus. Chien loup* BVFF. t. 29. 2) *Sibiricus.* ib. t. 30.

β) Auribus longis pendulis nudis. *ſagax.* L. *chien courant* BVFF. t. 32. ad illum pertinent 1) *le braque* BVFF. t. 33 2) *dalmaticus*, *le braque de Bengale* id. t. 34. 3) *le baſſet à jambes torſes* et *à iambes droites* id. t. 35. 4) *aquaticus* L. *le grand* et *petit barbet* BVFF. t. 37. 38.

γ) Auribus longis, pendulis, nudis ſ. *auicularius* L.? *ſpaniel Anglorum.* 1) *le gredin* BVFF. t. 39. f. 1. 2) *le pirame* ib. f. 2. 3. C. *melitaeus* L. *bichon* et *chien lion* BVFF. t. 40. f. 1. 2.

δ) Auribus breuibus pendulis trunco elongato, pedibus longis. 1) C. *graius hibernicus.* (*Le matin* BVFF. t. 25.) 2) C. *graius vulgaris* ſ. *graius* L. *leurier* BVFF. V. t. 27. orientales cau-



*) Characterem huius ſpeciei Cl. Auctor cum LINNAEO in cauda ſiniſtrorſum recuruata ponit, quod tamen non perpetuum eſt.

dam pilis longis veſtitam habent, cum reliqui laeues ſint. 3) *danicus.* BVFF. 26. 4) *molossus* L. BVFF. t. 45.

ε) auribus breuioribus pendulis, trunco, naſo et pedibus breuioribus 1) *le dogue* BVFF. V. t. 43. 2) *le doguin* ID. t. 44. 3. *le roquet* ID. t. 41. f. 1. 4. *nudus* ſ. *aegyptius* L. *Chien turc.* BVFF. t. 42.

Sp. III. C. *lupus* L. BVFF. VII. t. 1. Ad hanc ſpeciem quoque pertinet *Canis mexicanus* L. ſeu *Lupus mexicanus* BVFF. XV. p. 149. *).

Sp. 112. C. *vulpes* L. BVFF. VII. t. 6. Varietates eius ſunt: α) C. *alopex* **) β) *V. crucigera.* BVFF. XIII. p. 276. γ) *V. nigra.* δ) Varietas ex Penſyluania diuerſis caloribus variegata, quam Noſter ibidem *Brant-Fox* vocari aſſerit. ε) *V. Corſac* ſ. *Canis corſac* L.

Sp. 113. C. *arcticus* ſeu *lagopus* L. *Iſatis* BVFF. XIII. p. 272.

Sp. 114. C. *griſeus* ſeu C. *ex cinereo argenteus* BRISS.

Sp. 115. C. *argenteus.* Noua ſpecies ex Louiſiana.

Sp. 116. C. *iackal* ſeu *aureus* L. *Chacal* vel *Adive* BVFF. XIII. p. 255.

Sp. 117. C. *Surinamenſis* ſeu *thous* L.

*Genus* XVIII. *Hyaena.* Hoc genus palmis et plantis tetradactylis eſt, et folliculum inter caudam breuem et anum habet.

Sp. 118. H. *ſtriata.* *Canis hyaena* L. BVFF. IX. t. 25.

Sp. 119. H. *maculata.* Noua ſpecies, cuius in variis itinerariis mentio fit, quae vero nondum

*) Canem et lupum coitu miſceri et hybridum inde animal naſci Cl. Auctor obſeruatione conprobat.

**) Hunc noſtri *brand-fuchs* vocant, quod nomen Auctor varietati δ imponit.

dum a vulgari diſtincta fuit. Viuum animal Cl. Auctor Londini obſeruauit et depingere curauit.

Genus XIX. *Felis.*

1. Cauda elongata.

Sp. 120. F. *leo* L. BVFF. IX. t. 1.

Sp. 121. F. *tigris* L. BVFF. IX. t. 9.

Sp. 122. F. *pardus* L. *Panthere* BVFF. IX. t. 11. 12. quam ſpeciem et in America reperiri Cl. Auctor probat.

Sp. 123. F. *leopardus*. BVFF. IX. t. 14.

Sp. 124. F. *leopardus minor*. Noua ſpecies ex India orientali.

Sp. 125. F. *venatoria* (Hunting leopard).

Sp. 126. F. *vncia*. *L'once* BVFF. IX. t. 13.

Sp. 127. F. *braſiliana*. F. *onca* L. *Iaguar* BVFF. IX. t. 18.

Sp. 128. F. *mexicana*. *L'ocelot* BVFF. XIII. t. 35. 36.

Sp. 129. F. *fulua concolor* L. Mant. II. p. 522. *Couguar* BVFF. IX. t. 19.

Sp. 130. F. *nigra*. *Iaguarete* MARCGRAVII.

Sp. 131. F. *Capenſis*. Noua ſpecies.

Sp. 132. F. *Cayennenſis*. *Margay* BVFF. XIII. t. 37.

Sp. 133. F. *vulgaris* ſ. *ſylueſtris* BVFF. VI. t. 1. ex qua F. *domeſtica* ſeu F. *catus* L. BVFF. VI. t. 2. originem duxit. Varietates eius ſunt: α) F. *angorenſis* BVFF. VI. t. 5. β) F. *colore teſtudinis* ſeu *hiſpanica* BVFF. VI. t. 3. γ) F. *coerulea*. *Chat des Chartreux* BVFF. VI. t. 4.

II. Cauda abbreuiata.

Sp. 134. F. *montana* ſ. *pardalis* L. Varietas huius eſt: F. *Serval* BVFF. XIII. t. 34.

Sp. 135. F. *Lynx*. L. BVFF. IX. t. 21.

Sp.

Sp. 136. F. *fuſca* (bay). Ex America ſeptentrionali haec noua ſpecies lyncis allata eſt.

Sp. 137. F. *Perſica* ſeu *caracal* BVFF. IX. t. 14.

*Genus* XX. *Vrſus.*

Sp. 138. V. *niger* ſeu *arctos* L. BVFF. VIII. t. 31. 32.

Sp. 139. V. *polaris* ſeu *albus* BVFF. XV. p. 128. Species magnitudine et aliis characteribus a praecedente differt. Prioris tamen ſpeciei quoque vrſi in Tartaria hyeme quandoque albeſcunt.

Sp. 140. V. *luſcus* L. Ad eum pertinere *Muſtelam gulonem* L. *le glutton* BVFF. XIII. p. 178. ſeu potius vnam eandemque ſpeciem eſſe Cl. Auctor putat, quod, ſi figuram, quae apud KLEINIVM in quadruped. hiſtor. tab. 5. et in Actis Nidroſienſibus *) exſtat, cum figura EDWARDI t. 103. comparamus, vix concedere poſſumus.

Sp. 141. V. *racoon* ſ. *lotor* L. *Raton* B. VIII. t. 43.

*Genus* XXI. *Meles.* Vnguibus anticis longiſſimis et folliculo putorio ab vrſo differt.

Sp. 142. M. *vulgaris* ſeu *Vrſus meles* L. BVFF. VIII. t. 7.

Sp. 143. M. *americanus.* Noua ſpecies ex freto Hudſonis.

*Genus* XXII. *Opoſſum* ſeu *Didelphis* L.

Sp. 144. O. *virginicus* ſ. *Didelphis marſupialis* L. *Sarique* ſ. *Opoſſum* BVFF. X. t. 45. 46.

Sp. 145. *murinus* ſ. D. *murina* L. *la Marmoſe* BVFF. X. t. 52. 53.

Sp. 146. O. *mexicanus. Cayopolin* BVFF. t. 55.

Sp. 147. O. *cauda abbreuiata* ſeu *Philander obſcu-*
*re*

*) vid. Vol. III. p. 121. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 676.

*re rufus in dorſo, in ventre heluus, cauda breui et craſſa* BRISSON.

Sp. 148. O. *furinamenſis* (*Phalanger* BVFF. XIII. t. 10. 11.) Eſt *Didelphis orientalis* PALLAS *Miſcell. Zool.* p. 59. comm. noſtr. XV. p. 243.

Sp. 149. O. *merianenſis*. *Didelphis dorſigera* L. *Philandre de Surinam* BVFF. XV. p. 157.

*Genus* XXIII. *Muſtela.*

Sp. 150. M. *vulgaris* ſeu M. *ſupra rutila infra alba* BRISSON. *la bellette* BVFF. VII. t. 29. *Muſtela niualis* L.

Sp. 151. M. *erminea* L. *le roſelet* BVFF. VII. t. 28. f. 1. quae, ſi hyemali tempore candida fit Var. β. LINNAEI ſeu *l'hermine* BVFF. VII. t. 29. f. 2. eſt.

Sp. 152. M. *putorius* L. BVFF. VII. t. 23.

Sp. 153. M. *furo* L.

Sp. 154. M. *martes* L. *Fouine* BVFF. VII. t. 18. (Noſtratibus *Hausmarter*).

Sp. 155. M. *abietum*. Varietas prioris apud L. *la Marte* BVFF. t. 22. (*Steinmarter* Germanis.)

Sp. 156. M. *Zibellina* L. BVFF. XIII. p. 309.

Sp. 157. M. *piſcator*. Ex America ſeptentrionali, cum priori ſatis conuenit.

Sp. 158. M. *Madagaſcarienſis*. *Vanſire* BVFF. XIII. f. 21.

Sp. 159. M. *Pekan* BVFF. XIII. t. 42. ad quam ſpeciem etiam ea, quam IDEM l. c. t. 43. *Viſon* vocat, a Noſtro refertur.

Sp. 160. M. *Guineenſis*. *Tayra* ſ. *Galera* BVFF. XV. p. 155.

Sp. 161. M. *guianenſis*. ſ. *barbara* L.

Sp. 162. M. *ichneumon* ſ. *Viuerra ichneumon* L. cum varietate β) quae *Viuerra indica* BRISSONII

SONII ſeu *Mangouſte* BVFF. XIII. t. 19. eſt.

Sp. 163. M. *digitis quatuor*. *Surikate* BVFF. XIII. t. 8.

Sp. 164. M. *braſilienſis*. *Viuerra naſua* L. *Coati brun* BVFF. VIII. tab. 48. cum varietate, quae *Coati noiratre* BVFFONII l. c. tab. 47. ſeu *Coati mondi* MARGRAVII eſt.

Sp. 165. M. *foetens* ſeu *Yzquiepatle* HERNAND. an *Coaſe* BVFF. XIII. t. 38?

Sp. 166. M. *ſtriata*. *Viuerra putorius* L. *Conepate* BVFF. XIII. t. 40.

Sp. 167. M. *Skunk*. *Chinche* BVFF. XIII. t. 39.

Sp. 168. M. *zorilla* (an *zorille* BVFF. XIII. t. 41?)

Sp. 169. M. *pedens* (*fizzler*) ex Capite bonae ſpei. Noua ſpecies.

Sp. 170. M. *zibetha* ſeu *Viuerra zibetha* L. *la Ciuette* BVFF. IX. t. 34. Huius varietas eſt *Zibet* BVFF. ib. t. 31.

Sp. 171. M. ſeu *Viuerra genetta* L. BVFF. IX. t. 36.

Sp. 172. M. *foſſane* BVFF. XIII. t. 20.

*Genus* XXIV. *Lutra*. Genus hoc palmas et plantas pentadactylas et plantas palmatas habet.

Sp. 173. L. *maior* ſeu *Muſtela Lutra*. L. BVFF. VII. t. 11. Varietatem maiorem nigri coloris ex obſeruatione Cl. BANKS addit.

Sp. 174. L. *minor* ſ. *Muſtela lutreola* L.

Sp. 175. L. *marina* ſ. *Muſtela lutris* L. *Saricouienne*. BVFF. XIII. p. 319.

